CODEX


CIVILIS UNIVERSALIS

PRO

OMNIBUS TERRIS HEREDITARIIS
GERMANICIS

IMPERII AUSTRIACI.

PARS II.



VIENNAE.
TYPIS CAES. REG. AULAE ET STATUS TYPOGRAPHIAE.
1817.

PARS SECUNDA
CODICIS CIVILIS.

DE JURE RERUM.

De rebus earumque divisione juridica.

§. 285.

Omne, quod persona non est et usui hominum inservit, in sensu juridico res appellatur. Notio rerum in sensu juridico.

§. 286.

Res in territorio civitatis existentes vel sunt res civitatis, vel res privatae. Posteriores res pertinent ad personas singulares vel morales, ad societates minores aut integras universitates. Divisio rerum secundum diversitatem subjecti, ad quod pertinent.

§. 287.

Res vacantes dicuntur, quarum occupatio omnibus membris civitatis libera est. Illae, Res vacantes, res publicae,

et patrimonium civitatis.

quae ipsis tantum ad usum conceduntur, uti: viae publicae, flumina, fluvii, portus et littora, res publicae nominantur. Quod ad suppeditandos sumtus pro necessitatibus civitatis erogandos destinatum est, uti: jus cudendae monetae, postarum, et caetera, quae et regalia appellantur, majestatis jura, bona cameralia, metallorum fodinae, salinae, tributa et vectigalia, patrimonium civitatis dicitur.

§. 288.

Res universitatum, patrimonium universitatum.

Simili modo res, quae secundum constitutionem civitatis usui cujuslibet membri universitatis inserviunt, res universitatis; illae vero, quarum reditus sumtibus ab universitate erogandis impenduntur, universitatis patrimonium constituunt.

§. 289.

Patrimonium privatum Principis.

Illud quoque patrimonium Principis, quod non tamquam Imperans possidet, rebus privatis adnumeratur.

§. 290.

Praescriptum generale respectu harum diversarum bonorum specierum.

Praescripta in hoc jure privato contenta de modo, quo res juste adquiri, conservari et in alios transferri possint, de regula etiam ab administratoribus rerum publicarum et universitatum, aut patrimonii civitatis vel

universitatum observanda sunt. Exceptiones et specialia praescripta administrationem et usum horum bonorum spectantia continentur in jure publico et in politicis constitutionibus.

§. 291.

Res secundum diversam suam qualitatem dividuntur: in corporales et incorporales; mobiles et immobiles; fungibiles et non fungibiles; aestimabiles et inaestimabiles. Divisio rerum secundum diversas earum qualitates

§. 292.

Res corporales illae sunt, quae sensibus percipi possunt; reliquae incorporales nominantur; e. g. jus venandi, piscandi, et omnia alia jura. Res corporales et incorporales;

§. 293.

Res, quae salva sua substantia ex uno loco in alterum transferri possunt, sunt mobiles; in casu opposito immobiles. Res per se mobiles in sensu juridico immobiles censentur, si aut vi legis, aut per destinationem domini appertinentias rei immobilis constituunt. mobiles et immobiles.

§. 294.

Appertinens dicitur omne id, quod cum re aliqua in continuum nexum ponitur. Eo pertinent non solum accessio rei, quamdiu ab ipsa separata non est; sed etiam res accesso- De appertinentiis in genere,

riae, sine quibus res principalis usum nullum praestat, aut quas lex, vel dominus in continuum rei principalis usum destinaverunt.

§. 295.

in specie ratione praediorum et stagnorum;

Gramen, arbores, fructus, et omnes res utiles, quas terra in superficie sua procreat, tamdiu res immobiles manent, quamdiu a solo separatae non sunt. Ipsi pisces in stagno, et ferae in sylva tum primo res fiunt mobiles, si pisces stagno exemti et ferae captae vel occisae sunt.

§. 296.

Frumentum quoque, lignum, pabulum et omnes reliqui, licet jam percepti fructus, quemadmodum et animalia, et omnia ad praedium pertinentia instrumenta et utensilia eatenus rebus immobilibus accensentur, quatenus ad continuationem ordinariae rei oeconomicae administrationis requiruntur.

§. 297.

atque aedificiorum.

Simili modo ad res immobiles illae pertinent, quae fundo eo animo imponuntur, ut semper ibi maneant, uti: domus et alia aedificia cum spatio aëris in linea perpendiculari eis incumbenti; porro, non solum in terra vel muro fixa, aut ferro seu clavis vincta,

ceu: ahena coquendae cerevisiae aut urendo vino destinata, et armaria in parietes fabricata, sed etiam illae res, quae continuo usui totius alicujus inserviunt, e. g. situlae, funes, catenae, requisita igni restinguendo comparata et similia.

§. 298.

Jura rebus mobilibus adnumerantur, nisi cum possessione rei immobilis conjuncta sint, aut per constitutionem civitatis pro re immobili declarentur.

Jura de regula tamquam res mobiles respicienda sunt;

§. 299.

Credita per inscriptionem ad rem immobilem in patrimonium immobile non transeunt.

nec minus activa intabulata.

§. 300.

Res immobiles subjectae sunt legibus illius districtus, in quo sitae sunt; omnes reliquae res vero iisdem legibus subsunt, quibus subest ipse dominus pro persona sua.

Secundum quas leges res immobiles; et secundum quas res mobiles judicandae sint.

§. 301.

Res, quarum ordinarie usus non est, nisi destruantur aut consumantur, fungibiles; illae, quae contrariam naturam habent, non fungibiles dicuntur.

Res fungibiles, non fungibiles.

§. 302.

Universitas rerum.

Complexus plurium rerum singularium, quae tamquam una res respiciuntur, et communi nomine insigniri solent, rem universalem, seu universitatem rerum constituit, et tamquam totum aliquod consideratur.

§. 303.

Aestimabiles et inaestimabiles;

Res aestimabiles illae sunt, quarum valor instituta comparatione cum aliis commercii causa determinari potest; huc etiam pertinent servitia, operae viribus corporis vel ingenii praestandae. Res vero, quarum valor nulla comparatione cum aliis in commercio existentibus rebus definiri potest, inaestimabiles dicuntur.

§. 304.

Cynosura aestimationis judicialis.

Determinatus rei valor ipsius pretium dicitur. Si res a judicio aestimanda est, aestimationem illius secundum determinatam summam pecuniae fieri oportet.

§. 305.

Pretium ordinarium et extraordinarium.

Si res secundum eam utilitatem aestimatur, quam respectu habito temporis et loci ordinarie et generaliter praestat, pretium ordinarium et commune; si vero ad speciales relationes et ad affectionem in qualitatibus ac-

cidentalibus rei fundatam ejus, cui aestimatio praestanda est, respicitur, pretium definitum extraordinarium est.

§. 306.

In omni casu, ubi nec conventione, nec lege aliquid aliud statuitur, in aestimatione rerum ordinarium pretium pro regula accipiendum est.

Quale pretium in aestimationibus judicialibus pro mensura accipiendum sit.

§. 307.

Jura, quae personae in rem nullo respectu habito certarum personarum competunt, jura realia dicuntur. Jura, quae ad rem tantummodo contra certas personas immediate ex lege, aut ex actu obligatorio oriuntur, jura rerum personalia nominantur.

Notiones juris rerum realis et personalis.

§. 308.

Jura rerum realia sunt: jus possessionis, dominii, pignoris, servitutis et hereditatis.

JURIS RERUM
SECTIO PRIMA.

DE JURIBUS REALIBUS.

CAPUT I.
De possessione.

§. 309.

Detentor. Possessor.

Qui rem in potestate sua vel viribus suis physicis habet, ejus detentor nominatur. Possessor est, qui rem detinet animo eam tamquam propriam habendi.

§. 310.

Adquisitio possessionis. Habilitas personae ad adquisitionem possessionis.

Personae, usu rationis destitutae, per se inhabiles sunt ad possessionem adquirendam. Vices earum agunt tutores vel curatores. Impuberes infantia majores per se soli rem in possessionem capere possunt.

§. 311.

Omnes res corporales et incorporales, quae in commercio juridico sunt, valent in possessionem capi. Objecta possessionis.

§. 312.

Res corporales mobiles per physicam apprehensionem, deportationem, aut custodiam; immobiles vero ingressu, terminos designando, aut sepem circumducendo, signatione, aut cultura in possessionem capiuntur. Possessionem rerum incorporalium seu jurium adquirimus per usum eorum proprio nomine exercitum. Modi possessionem adquirendi.

§. 313.

Usus juris existit, si quis ab altero aliquid tamquam obligationem exigit, et is hoc revera praestat; porro, si quis rem alterius cum ejus consensu in suam utilitatem impendit; demum, si quis altero interdicente, quod alias faciendi jus haberet, intermittit. in specie juris affirmativi, negativi, vel prohibitorii,

§. 314.

Possessio tam jurium, quam rerum corporalium adquiritur aut immediate seu originarie, si res vel jura vacantia; aut mediate seu derivative, si jus vel rem alteri competentem in potestatem nostram redigimus. Modus adquirendi possessionem originarius et derivativus.

§. 315.

Ambitus adquisitionis.

Per immediatam aut mediatam propria auctoritate factam possessionis apprehensionem id tantum in possessionem accipitur, quod revera apprehendendo, ingrediendo, utendo, signando, aut custodiendo in potestatem redactum est; in mediata, si detentor proprio aut nomine alieno jus vel rem in nos transfert, omne id adquiritur, quod prior detentor habuit et per signa manifesta tradidit, quin necessarium sit, singulas partes in specie acceptare.

§. 316.

Possessio justa et injusta.

Possessio rei justa dicitur, si valido titulo, id est, fundamento juris ad adquisitionem idoneo nititur. In casu contrario injusta nominatur.

§. 317.

Titulus principalis justae possessionis.

Titulus respectu rerum vacantium consistit in jure connato ad actus, quibus jura aliorum non laeduntur; ratione aliarum rerum in voluntate possessoris, vel in sententia judicis, vel demum in lege, qua alicui jus ad possessionem tribuitur.

§. 318.

Detentor qua

Detentor, rem non suo sed alieno nomi-

ne, detinens, nullam rationem juridicam habet ad capiendam ejusdem possessionem. talis nullo adhuc titulo gaudet;

§. 319.

Detentor rei jure non gaudet, causam detentionis suae propria auctoritate mutandi, eoque modo sibi titulum arrogandi; ast hoc licet, ut ille, qui hucusque rem proprio nomine juste possidebat, jus possessionis in alium transferat et eam pro futuro hujus nomine detineat. nec ipsum propria auctoritate adquirere potest.

§. 320.

Per titulum validum tantum jus ad possessionem rei adquiritur, non vero ipsa possessio. Cui tantum jus ad possessionem est, in casu, quo ipsi possessio denegatur, propria potestate in eam se immittere haud potest; sed a judice ordinario, allegando titulum suum, in via juris postulare obligatur, ut in possessionem mittatur. Effectus meri tituli.

§. 321.

Ubi sic dictae tabulae provinciales, libri civici aut fundales, aut alii hujusmodi publici indices introducti sunt, legitima possessio juris realis in res immobiles tantummodo per rite factam inscriptionem in hos libros publicos adquiritur. Requisita ad effectivam possessionem.

§. 322.

Si res mobilis successive pluribus personis tradita est; jus possessionis competit eam in sua potestate habenti. Ubi vero res immobilis est, et libri publici introducti sunt; jus possessionis exclusive ei competit, qui tamquam possessor ejus inscriptus est.

§. 323.

Possessor ad edendum titulum suum non potest provocari.

Pro possessore praesumtio validi tituli pugnat; ad quem ergo edendum non potest provocari.

§. 324.

Haec provocatio ne quidem tunc locum habet, si quis asserit, possessionem adversarii sui cum aliis juris praesumtionibus, e g. libertate dominii, conciliari non posse. In hujusmodi casibus adversarius affirmans coram competenti judice actionem instituere, et jus suum fortius, quod habere putat, probare debet. In dubio possessor praeferendus est.

§. 325.

Exceptio.

Quatenus possessor rei, cujus commercium prohibitum est, aut quae furto ablata esse videtur, titulum possessionis suae edere teneatur, per leges poenales et politicas decisum est.

§. 326.

Qui ex rationibus verisimilibus rem, quam possidet, suam esse putat, bonae fidei possessor est. Malae fidei possessor ille dicitur, qui scit aut ex circumstantiis praesumere debet, rem in possessione ejus existentem esse alienam. Errore facti aut ignorantia legis praescriptorum potest aliquis injustus quidem (§. 316.), et tamen bonae fidei possessor esse.

Possessio bonae et malae fidei.

§. 327.

Si quis rem ipsam, alter vero jus ad omnia vel aliqua commoda hujus rei possidet; alteruter eorum unus idemque, si fines juris sui excedit, sub diverso respectu bonae et malae fidei, justus et injustus possessor esse potest.

Quomodo cum altero possidens malae fidei aut injustus possessor fiat.

§. 328.

An possessio bonae aut malae fidei sit, in casu litis sententia judicis decidendum est. In dubio praesumtio pugnat pro bona fide.

Decisio de fide possessionis.

§. 329.

Bonae fidei possessor jam solo jure bonae fidei possessionis re possessa; quin ad damnum praestandum teneatur, pro arbitrio uti, abuti, immo illam quoque destruere potest.

Continuatio possessionis. Jura possessionis bonae fidei: a) respectu rei substantiae;

§. 330.

b) respectu commodorum;

Ad bonae fidei possessorem pertinent omnes fructus ex re nascentes, quamprimum ab ea separati sunt; ad ipsum quoque pertinent omnia emolumenta jam percepta, quatenus durante quieta possessione dies ea percipiendi jam venit.

§. 331.

c) respectu impensarum.

Si bonae fidei possessor in rem aut ad continuam conservationem substantiae necessarios, aut ad augenda durantia adhuc commoda utiles sumtus impendit; restituendi ipsi sunt secundum praesentem valorem, quatenus hic expensas reapse factas non superat.

§. 332.

Expensae voluptatis tantum et rei ornandae causa factae eatenus tantum refunduntur, quatenus rei ordinarius valor revera eis auctus fuit; attamen priori possessori optio est omnia sibi accipiendi, quae salva substantia tolli possunt.

§. 333.

Jus restitutionem pretii exigendi.

Possessor licet bonae fidei pretium auctori suo pro re obtenta solutum exigere nequit. Qui vero rem alienam, quam dominus alias vix recuperasset, bona fide emit, et hoc modo

proprietario utilitatem demonstrabilem comparavit, convenientem compensationem exigere potest.

§. 334.

An bonae fidei detentori petitionis suae causa jus retentionis competat, in capite de jure pignoris determinatur.

§. 335.

Obligatio malae fidei possessoris;

Malae fidei possessor obligatur, non solum omnia per possessionem rei alienae adquisita commoda restituere; sed etiam illa, quae laesus adquisivisset, et omme damnum per possessionem enatum reparare. In casu, quo malae fidei possessor per actum in legibus poenalibus prohibitum ad possessionem pervenit, obligatio resarciendi ad pretium quoque affectionis se extendit.

§. 336.

Si malae fidei possessor in rem aliquid impendit, id observandum est, quod respectu impensarum a negotiorum gestore factarum in capite de mandato disponitur.

§. 337.

Quomodo fides possessionis ab universitate exer-

Possessio universitatis secundum bonam aut malam fidem nomine membrorum ejus agentium mandatariorum judicatur. In quo-

citae judicanda sit.

libet vero casu membra in mala fide constituta non tantum membris in bona fide versantibus, sed etiam domino ad damnum resarciendum obligantur.

§. 338.

Quatenus per actionem possessio bonae fidei in possessionem malae fidei abeat.

Bonae quoque fidei possessor in eo casu, ubi per sententiam judicis ad restitutionem rei condemnatur, respectu commodorum refundendorum et damni resarciendi, quemadmodum etiam respectu impensarum, a tempore ipsi intimatae actionis, eodem loco ac malae fidei possessor habendus est; casum tamen, quem res apud dominum non subivisset, nonnisi tunc praestat, quando restitutionem temere litigando protraxit.

§. 339.

Jura possessori competentia, si in possessione turbatur;

Nemini fas est possesorem in ejus possessione, cujuscunque generis ea sit, propria auctoritate turbare. Turbato jus competit judicem implorandi, ut omnem turbationem interdicat, et damnum probatum resarciri faciat.

§. 340.

in specie in casu aedificationis;

Si possessoris rei immobilis aut juris realis per exstructionem novi aedificii, operis hydrotechnici, aut alterius operis juribus praejudicatur, quin aedificans cautelis in co-

dice judiciario praescriptis contra ipsum usus sit; periclitans jure gaudet, interdictionem hujusmodi novationis a judicio exigendi, et judicium tenetur, rem quam citissime decidere.

§. 341.

Ante decisionem causae continuatio aedificationis a judicio de regula non est concedenda. Tantum in casu imminentis manifesti periculi, aut, si aedificans congruam cautionem praestat, rem in pristinum statum restitutum et damnum resarcitum iri, ille vero, qui aedificationem prohiberi vult, similem cautionem de consectariis interdicti sui non praestat, interea continuatio aedificationis concedenda est.

§. 342.

Quod in praecedentibus §§. ratione novi aedificii exstruendi disponitur, ad demolitionem quoque aedificii, vel alterius operis jam existentis applicari debet.

§. 343.

Si possessor juris realis probare potest, jam existens alienum aliquod opus aut aliam rem alienam ruinam minari, et ipsi manifestum periculum portendere, fas ipsi est per

et ob damnum infectum.

judicem cautionem exigere, nisi jam forte politica instantia securitatis publicae causa media necessaria adhibuerit.

§. 344.

Remedia possessionis retinendae: a) in casu imminentis periculi;

Ad jura possessionis quoque pertinent jus se in possessione sua tuendi, et pro casu, quo auxilium judicis sero imploraretur, vim vi convenienti depellendi (§. 19.). Caeterum instantiae politicae est curare, ut tranquillitas publica conservetur, quemadmodum judicii criminalis, ut violentiae publice exercitae puniantur.

§. 345.

b) erga possessorem vitiosum;

Si quis possessionem vi ingreditur, aut dolo vel precario clam irrepit, et id, quod ipsi ex indulgentia, quin obligatio durabilis suscipiatur, concessum est; in jus perpetuum mutare conatur; possessio ejus per se injusta et malae fidei praeterea vitiosa evadit; in casibus contrariis possessio pro non vitiosa habetur.

§. 346.

Contra quemlibet vitiosum possessorem actio tam ad restitutionem in pristinum statum, quam ad indemnitatem institui potest. Utrumque a judicio causa pertractata, ne ullo quidem habito respectu juris fortioris, quod conventus in rem habere posset, decernendum est.

§. 347.

c) in dubio, an possessio vitiosa sit vel non.

Si non statim apparet, uter in possessione non vitiosa versetur, et quatenus una aut altera pars auxilium judicis implorare possit; res controversa tamdiu custodiae judicii aut tertii cujusdam confiditur, donec lis de possessione pertractata et decisa sit. Qui causa cadit, etiam post hanc decisionem actionem ex fortiori jure in rem, quod habere putat, instituere valet.

§. 348.

Cautelae a detentore observandae, si plures possessionem praetendunt.

Si a detentore plures simul possessionem poscentes traditionem rei petunt, et inter hos unus datur, cujus nomine res detinebatur; huic prae caeteris tradenda et reliquis facta traditio notificanda est. Hac circumstantia pro nullo pugnante, res custodiae judicis vel tertii committitur. Judicis est momenta juris eorum, qui de possessione certant, examinare, et sententia sua decidere.

§. 349.

Modi, quibus possessio cessat, et quidem: a) possessio rerum corporalium;

Possessio rei corporalis in genere amittitur, si res perditur sine spe eam recuperandi; si sponte derelinquitur; aut in possessionem alterius venit.

§. 350.

b) jurium in libris publicis inscriptorum;

Possessio illorum jurium et rerum immobilium, quae objectum librorum publicorum constituunt, exspirat, si ex libris provincialibus, civicis aut fundalibus expunguntur; aut si in nomen alterius inscribuntur.

§. 351.

c) aliorum jurium.

Respectu aliorum jurium possessio cessat, si adversarius id, quod alias praestitit, se non amplius praestare velle declarat; si exercitium juris ab altero institutum non amplius patitur; aut si jusso aliquid intermittendi non amplius obsequitur, possessor vero in omnibus his casibus acquiescit, et conservandae possessionis suae gratia nullam actionem instituit. Sola intermissione usus possessio juris, exceptis casibus praescriptionis in lege determinatis, non amittitur.

§. 352.

Quamdiu adhuc spes est rem deperditam recuperandi, sola voluntate possessio conservari potest. Absentia possessoris aut inhabilitas superveniens possessionem adquirendi, non tollunt possessionem jam adquisitam.

Caput II.

De jure dominii.

§. 353.

Omne id, quod in bonis alicujus est, omnes ipsius res corporales et incorporales, dominium ejus dicitur. Notio dominii; in sensu objectivo;

§. 354.

Tamquam jus consideratum dominium est facultas de substantia et de commodis alicujus rei pro arbitrio, omni alio excluso, disponendi. in sensu subjectivo;

§. 355.

Omnes res in genere objecta sunt juris dominii, et quilibet, quem leges expresse non excludunt, facultate gaudet, illud per se ipsum aut per alium suo nomine adquirendi. Possibilitas objectiva et subjectiva dominium adquirendi.

§. 356.

Igitur illi incumbit probatio, qui asserit personae aliquid adquirere volenti ratione

personalis ejus habilitatis, aut respectu rei adquirendae impedimentum legale obstare.

§. 357.

Divisio dominii in plenum et minus plenum.

Jus in substantiam rei cum jure in ejus utilitatem in una persona conjunctum, dominium plenum est et indivisum. Si vero uni jus in substantiam rei tantum, alteri vero praeter jus aliquod in substantiam jus exclusivum in ejus commoda competit, dominium divisum et utrique minus plenum habetur. Ille dominus directus; hic dominus utilis nominatur.

§. 358.

Omnes aliae species limitationum ex lege vel voluntate domini proficiscentium minus plenum dominium non reddunt.

§. 359.

Separatio dominii directi a dominio utili oritur partim dispositione proprietarii; partim dispositione legis. Pro diversitate relationum inter dominum directum et utilem obtinentium bona, quorum dominium divisum est, feuda, locationes hereditariae, et emphyteuses dicuntur. De feudis in jure feudali speciatim promulgato; de locationibus conductionibus hereditariis et bonis emphyteu-

ticis vero in capite de contractu locationis conductionis tractatur.

§. 360.

Ex sola pensitatione census continui, aut redituum annuorum ex fundo dominium divisum non sequitur. In omni casu, ubi separatio juris in substantiam a jure in rei commoda clare non apparet, quilibet bonae fidei possessor pro domino pleno respiciendus est.

§. 361.

Condominium.

Si res adhuc indivisa pluribus personis simul competit; condominium existit. Ratione totius, condomini pro una persona habentur; quatenus vero ipsis certae, licet non separatae partes assignatae sunt, quilibet condominus dominium plenum portionis sibi competentis habet.

§. 362.

Jura domini.

Vi juris libere de dominio suo disponendi dominus plenus de regula pro arbitrio re sua uti, aut usum hunc intermittere, eam destruere, integram, aut partem ejus in alios transferre, aut plene ei renunciare, id est, eam derelinquere potest.

§. 363.

Limitatio eorum.

Iisdem juribus etiam gaudet dominus minus plenus, tam directus quam utilis; hac solummodo cum restrictione, quod neuter aliquid suscipere possit, quod juri alterius adversatur.

§. 364.

In genere exercitium dominii eatenus tantum locum habet, quatenus per illud nec jura tertii laeduntur, nec limitationes ad conservationem et promotionem salutis publicae in legibus contentae exceduntur.

§. 365.

Si bonum publicum exigit, membra civitatis plenum etiam dominium erga convenientem indemnitatem cedere tenentur.

§. 366.

Actiones ex jure dominii: a) rei vindicatio proprietalis; cui, et contra quem competat?

Cum jure domini quemvis alium a possessione rei suae excludendi jus quoque conjunctum est, rem ab alio retentam a quolibet detentore vindicandi. Istud jus vero non competit illi, qui rem eo tempore, quo dominium ejus nondum habuit, proprio suo nomine alienavit, serius autem dominium ipsius adquisivit.

§. 367.

Rei vindicatio adversus bonae fidei possessorem rei mobilis locum non habet, si probaverit, rem vel in publica licitatione, vel ab aliquo, cui facultas concessa est, quaestum ejusmodi rebus faciendi, vel titulo oneroso ab aliquo, cui ab ipso actore ad usum, in depositum, vel quemcumque alium finem commissa fuit, adquisivisse. In his casibus a bonae fidei possessoribus dominium adquiritur, et priori domino tantum contra eos, qui ipsi propterea responsabiles sunt, jus in indemnitatem competit.

§. 368.

Si vero probatur, possessorem aut jam ex natura rei adquisitae, aut ex ultra modum exiguo pretio ejus, aut ex notis personalibus qualitatibus auctoris sui, aut ex quaestu, quem exercet, vel ex aliis relationibus, fundatam suspicionem contra fidem possessionis ejus concipere potuisse; tamquam malae fidei possessor rem domino cedere tenetur.

§. 369.

Quid actori probandum sit?

Rei vindicationem instituenti probandum est a reo rem detineri, se vero ejusdem dominum esse.

§. 370.

Qui rem mobilem judicialiter repetit, eam notis characteristicis, quibus ab omnibus similibus rebus ejusdem generis distinguitur, describat oportet.

§. 371.

Hinc res, quae hoc modo discerni nequeunt, uti pecunia parata cum alia commixta, aut chirographa in exhibentem in genère scripta, de regula objectum rei vindicationis non sunt, nisi hujusmodi circumstantiae concurrant, ex quibus actor dominium suum probare possit, et ex quibus reo notum esse debuerit, ipsi nullum jus rei sibi appropriandae fuisse.

§. 372.

Rei vindicatio ex juridice praesumto dominio actoris. Contra quem possessorem ista praesumtio locum habeat?

Si actor probationem dominii adquisiti in rem ab altero retentam efficere quidem nequit, ast tamen validum titulum et modum non vitiosum possessionis adquisitae probaverit; respectu cujuslibet possessoris, qui nullum, aut nonnisi debiliorem titulum possessionis suae edere potest, pro vero domino habetur.

§. 373.

Si ergo reus rem mala fide aut injuste

possidet; si nullum aut suspectum tantum auctorem indicare potest; aut si rem titulo lucrativo, actor vero titulo oneroso adquisivit, posteriori eam cedere tenetur.

§. 374.

Reo et actore aequalem titulum possessionis suae non vitiosae habentibus, reus propter possessionem praeferendus est.

§. 375.

Qui rem alieno nomine possidet, contra rei vindicationem se tueri potest auctorem suum nominando et probationem de eo allegando.

§. 376.

Qui possessionem rei judicialiter negat et possidere convincitur, jam ex hac sola ratione actori possessionem cedere cogitur, salvo tamen manente illius jure postea rei vindicationem instituendi. Confectarium legale: a) si quis possessionem negat;

§. 377.

Qui rem, quam non possidet, possidere simulat, et actorem hoc modo in errorem inducit; omne damnum inde enatum praestare obligatur. b) simulatae possessionis.

§. 378.

Qui rem possidebat et post actionem intimatam jure suo in eam se abdicavit, obliga- c) si quis dolo possidere definat;

tur hanc rem actori, nisi iste contra verum detentorem jus suum prosequi velit, suis sumtibus recuperare, vel pretium extraordinarium ejus solvere.

§. 379.

Quid possessor domino refundat.

Quid tam bonae quam malae fidei possessor domino respectu lucri cessantis aut damni emergentis praestare obligetur, in priori capite determinatum fuit.

Caput III.

De adquirendo dominio per occupationem.

§. 380.

Absque titulo et legitimo modo adquirendi dominium obtineri nequit. Requisita ad dominium adquirendum.

§. 381.

Quoad res vacantes titulus consistit in libertate connata capiendi eas in possessionem. Modus adquirendi est occupatio, qua aliquis rem vacantem in potestatem suam redigit animo eam sibi habendi. Titulus et modus adquirendi originarius. Occupatio.

§. 382.

Res vacantes ab omnibus membris civitatis per occupationem adquiri possunt, nisi ista facultas per leges politicas limitata sit, aut quibusdam membris praecipuum jus rem occupandi competat.

§. 383.

Hoc in specie de occupatione animalium valet. Cui jus venandi aut piscandi competat; 1. per occupationem animalium;

quomodo nimium augmentum ferarum impediatur, et damnum a feris datum reparetur; qua ratione apes alienae mellis praedatrices arceantur; legibus politicis statutum est. Quomodo fures ferarum puniendi sint, in legibus poenalibus determinatur.

§. 384.

Examina apum domesticarum et alia mansueta seu mansuefacta animalia liberae occupationis objectum non sunt, immo domino eorum jus est, ea etiam in fundo alieno persequendi; attamen fundi possessori damnum ipsi forte factum reparare tenetur. In casu, quo dominus alvearis examen intra biduum non persequutus est; aut animal mansuefactum per quadraginta duos dies sponte non rediit, potest illa in fundo publico quilibet; in fundo vero proprio dominus fundi occupare et sibi habere.

§. 385.

2. per inventionem rerum vacantium.

Nemo privatus res sponte provenientes, per constitutiones politicas civitati reservatas, sibi appropriare potest.

§. 386.

Res mobiles, quas dominus proprias amplius habere nolens derelinquit, cuilibet licet membro civitatis occupare.

§. 387.

Quatenus fundi penitus inculti relicti, aut aedificia propter neglectam reparationem pro derelictis habenda aut confiscanda sint, leges politicae determinant.

§. 388.

Praescripta circa inventionem: a) rerum perditarum;

In dubio non est praesumendum, aliquem dominio suo renunciare velle; hinc nulli inventori licet rem inventam pro derelicta habere, et eam sibi appropriare. Multo minus licet cuipiam sibi jus in bona naufragorum in littus ejecta arrogare.

§. 389.

Inventor ergo obligatur priori possessori, si ex characteribus rei aut ex aliis rei adjunctis manifestus fit, rem restituere. Quodsi ei prior possessor ignoretur, et res inventa valorem unius floreni excedat, obligatur, factam inventionem intra octiduum, modo in quolibet loco consueto, promulgari curare, et, si res inventa plus quam duodecim florenos valet, casum instantiae loci indicare.

§. 390.

Instantia loci factam indicationem, quin de specialibus notis rei inventae mentionem faciat, sine mora modo in quolibet loco con-

sueto; quod si vero dominus intra terminum circumstantiis convenientem non detegatur, et valor rei inventae viginti quinque florenos superet, terna vice per novalia publica notificare tenetur. Si res inventa sine periculo in detentione inventoris relinqui nequeat, res ipsa, vel si sine graviori detrimento asservari non possit, pretium per publicam licitationem pro ea obtentum, judicialiter deponendum, aut tertio in custodiam tradendum est.

§. 391.

Si prior detentor vel dominus rei inventae intra terminum unius anni, a tempore finitae promulgationis, se insinuet; et jus suum rite demonstret, res vel pecunia inde percepta ipsi traditur. Ipse vero obligatur, expensas reddere, et inventori, si petierit, decem centesimas pretii ordinarii, qua praemium inventionis, solvere. Quodsi vero praemium secundum hanc computationem ad mille florenos excreverit, respectu valoris residui nonnisi quinque centesimae partes numerandae sunt.

§. 392.

Si intra terminum unius anni res inventa a nemine jure petitur, inventori jus tribuitur re aut pretio inde percepto utendi. Priori de-

tentori serius se insinuanti, deductis impensis et praemio inventionis, res, aut pretium perceptum cum usuris inde forte obtentis restituenda sunt, et nonnisi elapso tempore praescriptionis inventor, sicut bonae fidei possessor, jus dominii nanciscitur.

§. 393.

Quicunque praescripta in §§. 388 — 392. contenta neglexerit, de omnibus consectariis nocivis tenetur. Si inventor ea negligit, etiam praemio inventionis privatur, et secundum codicem poenalem pro re nata praeterea etiam se fraudis reum reddit.

§. 394.

Pluribus personis, quae rem aliquam simul invenerunt, respectu ejus eaedem obligationes et jura competunt. Inventoribus etiam ille adnumeratur, qui rem prae caeteris detexit, et eam capere conatus est, licet alius eam prius apprehendisset.

§. 395.

Si res defossae, muro aut alio loco absconditae, ignoti alicujus domini deteguntur, indicatio perinde, ac de inventione in genere, facienda est. b) rerum absconditarum;

§. 396.

Si dominus ex notis externis vel ex aliis circumstantiis innotescit, res ipsi tradenda est; attamen obligatio ei incumbit, inventori praemium inventionis in §. 391. determinatum praestandi, nisi probare possit, se prius jam, ubi res existat, notitiam habuisse.

§. 397.

c) thesauri.

In casu, quo dominus rei non statim erui potest, instantia loci secundum praescripta §§. 390—392. procedere tenetur.

§. 398.

Si res detectae consistunt in pecunia, in rebus ad ornatum pertinentibus, vel aliis pretiosis, tamdiu absconditis, ut prior earum dominus amplius explorari nequeat, thesauri nomine veniunt. Inventio thesauri ab instantia praefecturae provinciae indicanda est.

§. 399.

Tertia pars thesauri ad aerarium publicum pertinet. Reliquarum duarum partium unam inventor, alteram dominus fundi capit. Si dominium fundi divisum est, tertia ista pars domino directo et utili aequa lance cedit.

§. 400.

Qui in inventione thesauri actum illici-

tum commisit; qui inscio et invito domino utili thesaurum quaesivit; aut inventum celavit; ejus portio delatori, aut, eo deficiente, civitati cedat.

§. 401.

Operariis forte thesaurum invenientibus qua inventoribus tertia ejus pars cedit. Si vero a domino expresse ad quaerendum thesaurum mercede conducti sunt, ordinaria sua mercede contenti sunto.

§. 402.

Praescripta de jure circa praedam et res ab hoste recuperatas in legibus bellicis contenta sunt. 3) De praeda.

§. 403.

Rem alienam mobilem a jactura vel interitu inevitabili salvanti jus est, a domino eam repetente refusionem suarum expensarum, et praemium proportionatum, ad summum decem pro centum, exigendi. De jure ex salvatione rei alienae mobilis.

Caput IV.

De adquirendo dominio per accessionem.

§. 404.

Accessio. Accessio est omne id, quod ex re oritur, aut cum ea conjungitur, quin domino ab alio quopiam traditum sit. Accessio fit natura, arte, aut utraque simul.

§. 405.

I. Accessio naturalis. a) fructus naturales; b) foetura animalium; Fructus naturales fundi, nimirum commoda sine cultura procreata, uti: herbae, fungi et similia, adcrescunt fundi domino, quemadmodum omnia commoda, que ex animali nascuntur, domino animalis.

§. 406.

Dominus ejus animalis, quod ex animali alterius foetus concepit, huic alteri mercedem nullam debet, nisi conventa fuit.

§. 407.

c) insulae; Si in media aqua insula nascitur, domini fundorum secundum longitudinem ejus in

utraque ripa sitorum jure privativo gaudent illam aequis portionibus occupandi, et pro mensura longitudinis fundorum suorum inter se distribuendi. Si insula in alterutra dimidia parte aquae oritur, domino proprioris ripae soli jus in eam est. Insulae in fluviis ad navigationem aptis ortae civitati reservantur.

§. 408.

Si aquis siccescentibus aut in plura brachia divergentibus insulae formantur, aut fundi inundantur; jura prioris dominii illaesa manent.

§. 409.

Flumine alveum suum derelinquente, imprimis fundorum dominis, qui per novum cursum aquae damnum sentiunt, jus est, ex alveo derelicto vel aestimatione ejus indemnitatem quaerendi. d) de mutatione alvei;

§. 410.

Extra casum hujusmodi indemnitatis alicui competentis alveus derelictus, ut de insula nata dispositum fuit, ad dominos riparum adjacentium pertinet.

§. 411.

Terra, quam aqua sensim sine sensu ripae alluit, cedit ripae domino. e) de alluvione;

§. 412.

f) de vi fluminis.

Si vero grandior terrae portio per vim fluminis ripae alienae adjicitur; priori possessori jus dominii in eam competens tantum in eo casu perditur, si spatio unius anni illud non exercet.

§. 413.

Cuilibet fundi domino liberum est ripam suam contra vim fluminis munire. Non licet tamen hujusmodi opera struere, vel plantationes, quae ordinarium cursum fluvii immutent, aut quae navigationi, molis, piscationi aut aliis juribus alienis detrimentum adferant. In genere similia opera tantum cum consensu instantiae politicae suscipi possunt.

§. 414.

II. Accessio artificialis ex specificatione et conjunctione in genere.

Qui ex rebus alienis novas conficit; qui eas cum suis conjungit, commiscet aut confundit, hac ratione dominium in eas nondum acquirit.

§. 415.

Si hujusmodi res confectae in pristinum suum statum reduci; conjunctae, commixtae aut confusae iterum separari possunt, cuilibet domino suum redditur, et indemnitas, cui competit, praestatur. Si restitutio in pristi-

num statum aut separatio impossibilis est, res inter consortes communis fit; attamen ei, cujus res alterius culpa conjuncta fuit; optio competit, rem conjunctam integram erga recompensationem ejus, quo nunc melior facta est, sibi habere, aut eam alteri pariter erga recompensationem cedere. Cujus culpa conjunctio facta est, is pro diversitate bonae aut malae suae fidei tractatur. Si vero neutrî parti culpa imputari potest, majoris valoris rei domino optio relinquitur.

§. 416.

Aliena materia, in reparationem tantum alicujus rei impensa, domino rei principalis cedit, qui obligatur pro diversitate, an bona aut mala fide egerit, priori domino materiae impensae valorem refundere.

§. 417.

Si quis in proprio fundo aedificium aliena materia exstruit, hoc quidem ipsi proprium manet; attamen etiam bona fide aedificans materiae, nisi eam modis in §. 367. allegatis nactus esset, pretium ordinarium; mala fide aedificans vero illius pretium extraordinarium solvere, et praeterea adhuc omne aliud damnum laeso praestare tenetur. In specie respectu aedificationis.

§. 418.

Contra, si quis propria materia, inscio et invito domino, in alieno fundo aedificaverit, aedificium domino fundi cedit. Qui bona fide aedificavit, restitutionem impensarum necessariarum et utilium exigere potest; qui mala fide aedificavit, negotiorum gestori sine mandato aequiparatur. Dominus fundi aedificationem sciens, nec illico bona fide aedificanti interdicens, ordinariam tantum aestimationem pro fundo exigere valet.

§. 419.

Aedificium in fundo alieno et ex materia aliena exstructum domino fundi pariter cedit. Inter dominum fundi et aedificantem jura et obligationes in paragrapho praecedenti statuta intercedunt, et aedificans priori domino materiae, pro diversitate bonae aut malae suae fidei, valorem ordinarium aut summum refundere obligatur.

§. 420.

III. Accessio mixta.

Id, quod hucusque ratione aedificiorum aliena materia exstructorum statutum est, etiam pro illis casibus valet, ubi fundo semen alienum insitum, aut plantae alienae insertae

sunt. Talis accessio domini fundi est, siquidem plantae radices egerint.

§. 421.

Dominium arboris non ex radicibus in fundum confinem actis, sed ex stirpe, quae e solo eminet, determinatur. Si stirps in confinio plurium dominorum est, arbor ipsis communis fit.

§. 422.

Quilibet dominus fundi radices alienae arboris e fundo suo evellere, et ramos in suam columnam aëris prominentes amputare, aut utilitatem inde percipere potest.

Caput V.

De adquirendo dominio per traditionem.

§. 423.

Adquisitio derivativa.

Res in dominio jam constitutae mediate seu derivative adquiruntur, cum modo justo a domino in alium transeunt.

§. 424.

Ejus titulus.

Titulus adquisitionis derivativae consistit in pacto; in dispositione mortis causa; in sententia judicis; aut in dispositione legis.

§. 425.

Modus adquirendi derivativus.

Solus titulus dominium nondum tribuit. Dominium et omnia jura realia in genere possunt, exceptis casibus in legibus determinatis, tantum per legitimam traditionem et acceptationem adquiri.

§. 426.

Species traditionis: 1) respectu rerum mobilium: a) traditio corporalis;

Res mobiles de regula tantum per traditionem de manu ad manum corporalem in alium transferri possunt.

§. 427.

Respectu earum rerum mobilium vero, quae pro qualitate sua corporalem traditionem non admittunt, uti sunt: credita, merces, quae per vecturas transmittuntur, taberna instructa, aut alia res universalis, lex concedit traditionem per signa, quae fit, si dominus acceptanti documenta, quibus dominium probatur, aut instrumenta, quibus acceptanti possibile redditur, exclusive possessionem rei capere, tradit; aut si rei nota quaedam adjungitur, unde quilibet clare cognoscere potest, rem in alium translatam esse.

b) traditio symbolica;

§. 428.

Per declarationem res traditur, si alienans modo demonstrabili voluntatem suam manifestat, se in futurum rem nomine acceptantis detenturum esse; aut quod acceptans rem, hucusque sine jure reali detentam, in futurum jure reali possidere possit.

c) per declarationem.

§. 429.

Res transmissae de regula tunc tantum pro traditis habentur, quanto acceptans eas obtinet; nisi ipse modum transmissionis determinavisset vel approbavisset.

Consectaria ratione rei transmissae,

§. 430.

vel pluribus alienatae.

Si dominus eamdem rem mobilem duabus diversis personis alienavit, et uni earum tradidit; res ejus erit, cui primo loco tradita fuerit; attamen dominus laeso damnum praestare tenetur.

§. 431.

2) Traditio rerum immobilium per inscriptionem in libros publicos.

Ad transferendum dominium rerum immobilium actus adquirendi in libros publicos in hunc finem destinatos inserendus est. Haec insertio intabulatio dicitur.

§. 432.

Ejus requisita.

Imprimis ad intabulationem requiritur, ut ille, a quo dominium in alium transferendum est, ipsemet jam tamquam dominus inscriptus sit.

§. 433.

In specie in casu adquisitionis: a) per pactum;

Ut dominium mediante pacto in alium transferri possit, respectu praediorum rusticorum sufficit, si tradens et acceptans, vel etiam tradens solus tantum in foro rei sitae compareat, et inscriptionem actus adquirendi in librum publicum obtineat.

§. 434.

Si vero tradens personaliter non comparuerit, uti et in omnibus casibus, ubi de

praediis ad tabulam civicam aut provincialem pertinentibus agitur, super negotio adquisitionis documentum scriptum exarandum, et tam a partibus paciscentibus, quam a duobus viris fide dignis tamquam testibus subscribendum est.

§. 435.

In tali documento clare exprimenda sunt: personae dominium tradentes et acceptantes; res tradenda et ejus limites; titulus adquisitionis; locus porro et tempus initi negotii, et a tradente debet, in eodem, vel in documento separato, concedi permissio acceptantem tamquam dominum inscribendi.

§. 436.

b) per sententiam et alia documenta judicialia;

Si dominium rerum immobilium vi rei judicatae, instrumenti divisionis judicialis, aut judicialis addictionis hereditatis transferendum est; horum quoque instrumentorum inscriptio requiritur.

§. 437.

aut c) per legatum.

Eodem modo ad dominium rei immobilis legatae adquirendum non sufficit, ut dispositio testatoris generatim libris publicis inseratur. Qui jus possessionis hoc titulo quaerit, eum praeterea in instantia compe-

tenti speciatim inscriptionem legati obtinere oportet.

§. 438.

Inscriptio in librum publicum conditionata; seu praenotatio.

Si dominium rei immobilis sibi asserens de eo quidem instrumentum fide dignum, sed non omnibus in §§. 434. et 435. ad insertionem praescriptis requisitis munitum habet; poterit nihilominus, ne illi quis praerogativam praeripiat, inscriptionem conditionatam in librum publicum impetrare, quae praenotatio dicitur. Hac inscriptione dominium conditionatum adquirit, et quamprimum testante sententia judicis praenotationem justificaverit, a tempore exhibiti in ordine legitimo praenotationis petiti pro vero domino habetur.

§. 439.

Facta praenotatio tam illi, qui eam obtinuit, quam ipsius adversario per intimationem ad manus traditam notificanda est. Praenotationem petenti intra quatuordecim dies, a die intimationis sibi factae, ordinaria actio dominii probandi causa instituenda est; quod ni fiat, obtenta praenotatio petente adversario deletor.

§. 440.

Praescriptum

Si dominus eamdem rem immobilem dua-

bus diversis personis alienavit; dominium illius is nanciscitur, qui inscriptionem prius petiverit.

de collisione inscriptionum.

§. 441.

Consectaria adquisitionis: a) respectu possessionis;

Quamprimum documentum de jure dominii libro publico inscriptum est, novus dominus legitimam ejus possessionem obtinet.

§. 442.

b) respectu jurium cum ea conjunctorum;

Dominium alicujus rei adquirens simul etiam jura cum ea conjuncta obtinet. Verum jura ad personam tradentis restricta tradi nequeunt. In genere nemo plus juris in alterum transfert, quam ipsemet habet.

§. 443.

c) onerum.

Cum dominio rerum immobilium suscipiuntur etiam onera eis inhaerentia, libris publicis inscripta. Qui hos libros non inspicit, negligentiae suae consectaria semper ferre debet. Aliae obligationes, quibus prior dominus alicui obnoxius erat, in novum adquirentem non transeunt.

§. 444.

Modi, quibus dominium exspirat.

Dominium in genere per voluntatem domini; per legem; et per sententiam judicis cessare potest. Dominium rerum immobilium

vero nonnisi per deletionem ex libris publicis tollitur.

§. 445.

Extensio horum praescriptorum ad alia jura realia.

Praescripta hoc capite contenta de modo, quo dominium rerum immobilium adquiritur vel exspirat, aeque respectu aliorum, res immobiles concernentium jurium realium observanda sunt.

§. 446.

Forma et cautelae circa inscriptiones in libros publicos observandae.

Quomodo et quibus cum cautelis in inscriptione jurium realium procedendum sit, in praescriptis specialibus de modo, quo tabulae provinciales et libri fundales comparati esse debeant, continetur.

Caput VI.

De jure pignoris.

§. 447.

Jus pignoris est jus reale, quod creditori tribuitur, ex re aliqua sibi satisfaciendi, si obligatio convento tempore non adimpletur. Res, in quam creditori hoc jus competit, in genere pignus dicitur.

Notio juris pignoratii, et pignoris in genere.

§. 448.

In pignus quaelibet res in commercio existens constitui potest. Si res haec mobilis est, pignus proprie, aut in sensu stricto; si vero immobilis, hypotheca dicitur.

Species pignoris.

§. 449.

Jus pignoris quidem semper obligationem validam spectat, sed non quaelibet obligatio titulum ad adquirendum jus pignoris tribuit. Iste nititur lege; sententia judicis; pacto; aut ultima voluntate domini.

Titulus adquirendi juris pignoris.

§. 450.

Casus, in quibus lex alicui jus pignoris tribuit, loco debito hujus codicis et in procedendi modo circa casus concursus creditorum continentur. Quatenus judex jus pignoris tribuere possit, codex judiciarius determinat. Si agitur de adquisitione juris pignoris per consensum debitoris aut tertii cujusdam rem suam pro eo obligantis, praescripta de pactis et legatis observanda sunt.

§. 451.

Modus jus pignoris adquirendi: a) per traditionem corporalem; b) per inscriptionem in libros publicos;

Ut jus pignoris revera adquiratur, oportet, ut creditor titulo instructus rem oppignoratam mobilem in custodiam suam accipiat; et, si immobilis est, creditum suum modo ad adquirendum dominium rerum immobilium praescripto intabulari curet. Titulus solus nonnisi jus personale ad rem, non vero jus reale in rem tribuit.

§. 452.

c) per traditionem symbolicam;

In oppignoratione earum rerum mobilium, quae traditionem corporalem in manum non admittunt, ita ut in traditione dominii (§. 427.), hujusmodi signa adhibenda sunt, ex quibus quisque factam oppignorationem facile cognoscere possit. Hanc cau-

telam negligens de consectariis noxiis tenetur.

§. 453.

d) per praenotationem.

Si intabulatio crediti in libris publicis propter defectum legitimae formae documenti locum non habet; creditor praenotationem petere potest. Per eam jus pignoris conditionatum adquiritur, quod, praetensione, modo supra §§. 438. et 439. allegato, justificata, a tempore rite exhibiti petiti praenotationis in purum transit.

§. 454.

Adquisitio subpignoris.

Creditor pignus suum, quatenus ei jus in illud competit, tertio denuo oppignorare potest, quod hac ratione in subpignus transit, si tertius iste simul illud sibi tradi, aut suboppignorationem factam in libris publicis inscribi curat.

§. 455.

Si dominus rei oppignoratae de facta suboppignoratione certior redditur, debitum suum tantum cum consensu ejus, cui res suboppignorata est, creditori solvere potest, aut illud judicialiter deponere tenetur; alias res oppignorata ei, qui subpignore gaudet, obligata manet.

§. 456.

Oppignoratio rei alienae

Rem alienam mobilem invito domino oppignoratam is quidem de regula jure gaudet repetendi; sed in illis casibus, ubi rei vindicatio contra bonae fidei possessorem institui nequit (§. 367.) obligatur, aut eum, qui bona fide pignus possidet, indemnem reddere, aut rei oppignoratae renunciare et jure praestationem indemnitatis ab oppignorante exigendi contentus esse.

§. 457.

Ambitus juris pignoris objectivus.

Jus pignoris extenditur ad omnes partes pignoris dominio libero oppignorantis subjectas, ad ejus accessiones et appertinentias, hinc etiam ad fructus, quamdiu nondum separati aut percepti sunt. Si ergo debitor uni praedium suum, et alteri postea fructus ejus oppignorat; posterior oppignoratio tantummodo respectu fructuum jam separatorum et perceptorum efficax est.

§. 458.

Jura et obligationes creditoris pignore instructi: a) si pignus non sufficere appareat;

Si valor pignoris culpa oppignorantis, aut ob defectum nonnisi modo repertum ad securitatem crediti non amplius sufficiens reperitur; creditor jure gaudet, ab

oppignorante aliud pignus conveniens exigendi.

§. 459.

Sine consensu oppignorantis creditori re oppignorata uti non licet; sed potius obligatio incumbit eam diligenter custodiendi, et, si culpa ipsius perditur, damnum reparandi. Si sine ejus culpa perditur, creditum suum non amittit. b) ante diem solutionis;

§. 460.

Si creditor pignus suboppignoravit; etiam talem casum praestat, quo pignus apud ipsum non perivisset, aut damnum non fuisset passum.

§. 461.

Creditori pignore gaudenti post tempus determinatum elapsum, solutione non obtenta, fas est, a judicio petere, ut pignus venumdetur. Judicio in hac causa secundum praescripta codicis judiciarii procedendum est. c) postquam dies solutionis venit.

§. 462.

Antequam praedium venumdetur, cuilibet in eo inscripto creditori hypothecario redemtio crediti, cujus causa licitatio quaesita est, concedi debet.

§. 463.

Debitoribus non licet in licitatione rei ab eis oppignoratae cum plus offerentibus concurrere.

§. 464.

Si quantitas debita ex pignore vendito non obtinetur, debitor defectum resarciat; ipsi vero quoque illud cedit, quod ultra quantitatem debitam obtinetur.

§. 465.

In quantum creditor pignoratitius ad pignus suum restrictus sit, aut jus suum in alias res debitoris exercere possit, in codice judiciario determinatur.

§. 466.

Si debitor intra tempus pignoris durantis dominium rei oppignoratae in alium transtulit; creditori liberum est, primo jus suum personale erga debitorem prosequi et tum plenam suam satisfactionem, hac ratione non obtentam, ex re oppignorata quaerere.

§. 467.

Cessatio juris pignoris.

Si res oppignorata pereat; si creditor juri suo in eam legitime renunciet; aut si illam debitori sine ulla reservatione restituat; jus

pignoris quidem exstinguitur, sed jus crediti adhuc manet.

§. 468.

Jus pignoris porro exspirat lapsu temporis, in quod restrictum fuit, consequenter etiam cum jure temporario oppignorantis in rem oppignoratam: siquidem haec circumstantia creditori nota fuit, aut ex libris publicis innotescere potuit.

§. 469.

Sublato debito jus pignoris cessat. Debitor pignoratitius vero debitum sub hac tantum conditione solvere obligatur, ut ipsi pignus simul restituatur. Ad jus hypothecae tollendum solutio debiti sola non sufficit. Res hypothecae constituta tamdiu obligata manet, donec documentum de debito exaratum in libris publicis deletur.

§. 470.

Jura prioritatis creditorum in eorum concursu modus procedendi in casibus cridae determinat. De jure prioritatis creditorum pignoratitiorum.

§. 471.

Nec ille, qui pignus accepit, nec quispiam alius rei alienae detentor post exspira- De jure retentionis.

tionem juris sibi tributi facultate gaudet, eam ex causa praetensionis alicujus retinendi. Fas tamen ipsi est, si requisita in codice judiciario praescripta concurrunt, rem mobilem custodiae judiciali tradere et interdicto afficere, vel immobilis sequestrationem petere.

CAPUT VII.

De servitutibus.

§. 472.

Jure servitutis domino obligatio imponitur, in commodum alterius in re sua aliquid patiendi vel omittendi. Hoc jus est jus reale, contra quemlibet possessorem rei servientis efficax.

Notio juris servitutis.

§. 473.

Si jus servitutis cum possessione praedii in ejus commodum conjungitur, servitus praedialis oritur; secus servitus personalis est.

Divisio servitutum in servitutes praediales et personales;

§. 474.

Servitutes praediales supponunt duos possessores praediorum, ad quorum unum tamquam obligatum praedium serviens, ad alterum tamquam jure instructum praedium dominans pertinet. Praedium dominans aut ad rem rusticam, aut ad alium finem determinatum est; hinc servitutes rusticae et urbanae distinguuntur.

in rusticas et urbanas.

§. 475.

Species ordinariae: a) servitutum domesticarum;

Servitutes domesticae consuetae sunt:

1) jus onus aedificii sui alieno aedificio imponendi;

2) tignum vel trabem alieno parieti immittendi;

3) fenestram in pariete alieno aperiendi, luminis aut prospectus causa;

4) tectum aut suggrundium in vicini columnam aëris provehendi aut projiciendi;

5) fumum vicini camino immittendi;

6) stillicidium in alienum fundum derivandi;

7) Res fluidas in vicini fundum effundendi vel per eum derivandi.

Per has et similes servitutes domesticas possessori domus jus nascitur, aliquid in fundo vicini sui faciendi, quod alter pati tenetur.

§. 476.

Per alias servitutes domesticas possessori praedii servientis obligatio imponitur, aliquid omittendi, quod alias facere potuisset. Hujusmodi sunt:

8) obligatio aedes suas altius non tollendi;

9) vel eas humiliores non reddendi:

10) ne luminibus et aëri aedificii dominantis;

11) aut prospectui officiatur;

12) stillicidii aedium propriarum e praedio vicini, cui ad irrigandum hortum suum, vel ad implendam cisternam, aut alia ratione utile esse potest, non derivandi.

§. 477.

Praecipuae servitutes rusticae sunt: b) servitutum rusticarum.

1) jus itineris, actus aut viae in fundo alieno;

2) aquam hauriendi, pecoris ad eam adpulsus, aquae deducendae vel adducendae;

3) pecoris pascendi;

4) lignum caedendi, ramos aridos et sarmenta colligendi, glandes legendi folia corradendi;

5) jus venandi, piscandi, aucupii;

6) saxa caedendi, arenae fodiendae calcis coquendae.

§. 478.

Servitutes personales sunt: merus rei usus, ususfructus et habitatio. Species servitutum personalium.

§. 479.

Servitutes irregulares, et quae speciem tantum servitutis praeseferunt.

Fieri vero quoque potest, ut servitutes per se praediales soli personae; aut concessiones, quae ordinario servitutes sunt, precario tantum tribuantur. Attamen ejusmodi exceptiones a servitutis indole non praesumuntur; eas asserenti incumbit probatio.

§. 480.

Adquisitio juris servitutis. Titulus adquisitionis.

Titulus servitutis consistit in pacto; in ultima voluntate; in sententia judicis de communi dividundo praedio lata; aut demum in praescriptione.

§. 481.

Modus adquirendi.

Jus reale servitutis in res immobiles et in hujusmodi objecta, quae in libris publicis inscripta sunt, tantummodo per inscriptionem in eos adquiri potest; in alias vero res per traditionis modos supra (§. 426 — 428.) allegatos adquiritur.

§. 482.

Jura servitutum. Generalia praescripta de jure servitutum.

Omnes servitutes in eo conveniunt, ut possessori rei servientis de regula non sit obligatio aliquid faciendi, sed tantum alterius exercitium juris patiendi, aut id omittendi, quod alias tamquam dominus facere posset.

§. 483.

Hinc sumtus conservationis et reparationis rei servientis de regula ab eo ferendi sunt, qui jure servitutis gaudet. Si vero dominus rei servientis simul usum ejus habet; pro rata ad hos sumtus contribuere debet; a qua contributione nonnisi rem domino praedii dominantis, hoc etiam invito, cedendo se liberare potest.

§. 484.

Possessor quidem praedii dominantis jus suum modo sibi placito exercere potest; ast servitutes non ampliandae, sed potius, quatenus earum indoles et finis, in quem constitutae sunt, patitur, restringendae sunt.

§. 485.

Nulla servitus arbitrarie a re servienti separari, nec in aliam rem aut personam transferri potest. Quaelibet servitus eatenus quoque pro indivisibili habetur, quatenus jus praedio inhaerens, ipsius incremento, imminutione aut divisione neque mutari, neque dividi potest.

§. 486.

Praedium pluribus personis simul servire

potest, nisi hoc juribus antiquioribus tertii cujusdam praejudicet.

§. 487.

Applicatio ad servitutes praediales; in specie ad jus onus vel tignum alieno aedificio imponendi, aut fumum per illud ducendi.

Secundum principia hic posita jura specialium servitutum determinanda sunt. Qui ergo onus aedificii alieni ferre; immissionem tigni alieni in parietem suum; aut transitum fumi per caminum suum pati tenetur; pro rata ad conservationem muri, columnae, parietis, aut camini ad hoc destinati contribuere obligatur. Ab eo vero exigi nequit, ut praedium dominans suffulciri aut caminum vicini refici faciat.

§. 488.

Jus fenestrarum.

Jus fenestrarum nonnisi luminis et aëris usum tribuit, prospectus speciatim concedendus est. Qui jure prospectus non gaudet, cogi potest, ut fenestram clathris instruat. Cum jure fenestrarum obligatio conjuncta est aperturam custodiendi; qui hanc custodiam negligit, damnum inde ortum praestat.

§. 489.

Jus stillicidii.

Cui jus stillicidii est, ei facultas competit aquam pluviam in tectum alienum libere aut canalibus collectam derivandi; ipsi quoque licet tectum suum altius tollere; modo tales fa-

ciat dispositiones, ne hoc modo servitus onerosior evadat. Ita ipsi quoque incumbit nives copiosas tempestive removere, quemadmodum etiam canales defluxui destinatos conservare.

§. 490.

Qui jure gaudet aquam pluviam e tecto vicino in praedium suum derivandi, obligatur expensas pro canalibus, labris recipiendae aquae et aliis necessariis in hunc finem operibus solus ferre. Jus aquae pluviae deducendae.

§. 491.

Si ad deducenda fluida fossae et canales necessarii sunt, dominus praedii dominantis ea struere tenetur, ipsius quoque est ea rite obtegere et purgare, et sic onus praedii servientis diminuere.

§. 492.

Jus itineris complectitur jus per tramitem concessum ambulandi, per eum se ab hominibus portari curandi, aut alios homines ad se venire sinendi. Cum jure actus usus quoque currus trusatilis; et cum jure viae jus uno aut pluribus vehiculis utendi conjunctum est. Jus itineris. Jus actus et viae.

§. 493.

At vero, sine speciali concessione, jus itineris non in jus equitandi, aut gestationis per jumenta; nec jus actus in jus graviora onera super fundo servienti trahendi; nec jus viae in jus pecora libera in eo agendi, extendi potest.

§. 494.

Ad viam, pontes et ponticulos conservandos pro rata omnes personae aut praediorum domini, quibus usus eorum competit, hinc etiam possessor praedii servientis eatenus contribuit, quatenus eorum usum facit.

§. 495.

Spatium his servitutibus destinatum.

Spatium in his tribus servitutibus necessario usui et circumstantiis loci accommodatum sit. Si usus viarum et itinerum inundatione aut alio casu impeditur; donec in priorem statum restituantur, aliud spatium assignandum est, nisi politica instantia jam necessariam in hunc finem dispositionem fecerit.

§. 496.

Jus aquae haustus.

Cum jure alienam aquam hauriendi accessus quoque ad eam conceditur.

§. 497.

Jus aquae ductus.

Cui jus est, aquam ex fundo alieno in

suum, aut ex suo in alienum ducendi, ei quoque facultas competit fistulas, canales, et cataractas in hunc finem necessarias propriis sumtibus struendi. Modus horum operum haud excedendus necessitate praedii dominantis circumscribitur.

§. 498.

Jus pascendi.

Si in adquirendo jure pascendi genus et numerus pecorum, porro tempus et mensura hujus juris determinata non fuere; possessio quieta triginta annorum tuenda est. In casibus dubiis sequentia praescripta normae inserviunt.

§. 499.

Determinatio legalis: a) respectu generis pecorum;

Jus pascendi se extendit, quatenus leges politicae et saltuariae non obstant, ad omne genus jumentorum, armentorum et ovium, ast non ad sues et volatilia; nec non in locis silvestribus ad capras. Pecus immundum, aegrum et alienum semper a pascuis arcendum est.

§. 500.

b) respectu numeri eorum.

Si numerus pecoris in pascuum agi soliti intra triginta ultimos annos variavit; e numero trium primorum annorum numerus medius accipiendus est. Si et iste non apparet;

tam amplitudinis, quam qualitatis pascui justa ratio habenda est, et ei, cui jus pascendi competit, saltem non conceditur, ut plus pecoris in alienum pascuum agat, quam pabulo ex praedio dominanti percepto per hyemem alere potest. Pecus lactens definito numero non imputatur.

§. 501.

c) respectu temporis pascendi;

Pascendi tempus in genere quidem usu in quolibet pago introducto, non controverso, determinatur: ast nunquam gestio rei oeconomicae legibus politicis in certum ordinem redacta per pasturam impediri aut difficilior reddi potest.

§. 502.

d) modus usus pascui.

Usus pascui jus alias utilitates percipiendi in se non complectitur. Qui jure pascendi gaudet, ei nec licet gramen metere, nec de regula proprietarium fundi a jure compascendi excludere, multo minus substantiam pascui destruere. Si damnum metuitur, pecori suo pastorem addere debet.

§. 503.

Applicatio harum determinationum ad alias servitutes.

Quod respectu juris pascendi hactenus praescriptum est, habita circumstantiarum ratione etiam ad jus feras capiendi, lignum

vel saxa caedendi et reliquas servitutes applicandum est. Si quispiam haec jura fundata in jure condominii esse asserit; controversiae de eis ortae secundum principia in capite de communione dominii contenta decidendae sunt.

§. 504.

Exercitium servitutum personalium, ni aliter conventum sit, sequentibus regulis continetur: Servitus usus in eo consistit, ut quis facultatem habeat re aliena, salva ejus substantia, solummodo pro necessitate sua utendi. Servitutes personales; speciatim: 1) usus;

§. 505.

Cui ergo jus usus rei competit, ei, nullo respectu habito reliqui illius patrimonii, utilitatem conditioni, quaestus sui modo, et rei domesticae consentaneam, inde percipere licet. Determinatio respectu commodorum;

§. 506.

Necessitas pro ratione temporis usus concessi determinanda est. Mutationes subsequentes in conditione aut quaestu ejus, qui hoc jure gaudet, jus ad largiorem usum non tribuunt.

§. 507.

substantiae; Usuario non licet substantiam rei, ipsi in usum concessae mutare; nec fas ipsi est jus suum in alium transferre.

§. 508.

et onerum; Omnia commoda, quae sine turbatione juris usuarii e re percipi possunt, proprietario rei cedunt. Is vero obligatur omnia ordinaria et extraordinaria rei inhaerentia onera ferre, et eam suis sumtibus sartam tectam servare. Tantum in eo casu, quando sumtus commodum domino remanens superant, usuarius partem reliquam ferre, aut ab usu desistere tenetur.

§. 509.

2) usus-fructus. Ususfructus jus est, re aliena salva substantia, absque omni limitatione fruendi.

§. 510.

In quantum in rebus fungibilibus locum habere possit. Res fungibiles per se objectum usus aut ususfructus non sunt, sed tantum ipsarum valor. De pecunia parata usufructuario pro arbitrio disponere licet. Si vero sors jam in foenus elocata in usumfructum aut usum conceditur; usufructuarius vel usuarius nonnisi usuras exigere valet.

§. 511.

Usufructuario jus in omnes, tam ordinarios quam extraordinarios fructus competit; ad ipsum ergo quoque pertinet purum lucrum e metalli fodinis, observatis principiis ordinis pro re metallica praescripti, perceptum, nec minus lignum legibus saltuariis convenienti modo caesum. Thesaurum in praedio ad usumfructum destinato inventum poscere nequit.

Jura et obligationes usufructuarii.

§. 512.

Tamquam purus proventus id tantum respici potest, quod detractis omnibus necessariis expensis superest. Usufructuarius ergo suscipit omnia onera, quae tempore concessi ususfructus rei servienti conjuncta fuerunt, hinc usuras quoque creditorum in ea intabulatorum. Ipsi incumbunt omnes obligationes ordinariae et extraordinariae e re praestandae, in quantum ad earum praestationem reditus, durante tempore ususfructus percepti, sufficiunt; ipsi quoque impensae ferendae sunt, sine quibus fructus percipi nequeunt.

Speciatim: a) ratione onerum rei inhaerentium;

§. 513.

Usufructuarius obligatur rem servientem tamquam bonus paterfamilias in eo statu, in

b) respectu rei conservationis;

quo eam accepit, conservare et ex proventibus ejus reparationes, restaurationes et restitutiones fieri curare. Nihilominus si valor rei servientis per solum legitimum usum sine culpa usufructuarii diminuatur; propterea damnum praestare non obligatur.

§. 514.

c) aedificationum;

Si dominus, quae propter antiguitatem aedium, aut eventum casualem necessaria sunt; indicante usufructuario suis sumtibus aedificari curat; usufructuarius pro rata ususfructus eo aucti usuras sortis impensae refundere tenetur.

§. 515.

Quodsi vero dominus in tali casu aedificare non potest, aut nonvult; usufructuario jus est vel aedificandi, et finito usufructu, bonae fidei possessoris instar, refusionem, sumtuum; aut pro usufructu propter intermissam aedificationem impedito indemnitatem convenientem exigendi.

§. 516.

Aedificationes, quae haud necessariae sunt, licet caeterum ad augmentum proventuum utiles, usufructuarius non obligatur concedere, nisi obtenta plena indemnitate.

§. 517.

Quod usufructuarius sine consensu proprietarii ad augendam utilitatem adhuc durantem impendit, recipere potest; refusionem vero sumtuum in meliorationem adhuc exstantem impensorum eatenus tantum exigere valet, quatenus negotiorum gestor eam exigendi jure gaudet. (§. 1035. et seq.)

d) sumtuum meliorationis.

§. 518.

Ut probatio mutuarum praetensionum facilius obtineatur, dominus et usufructuarius designationem fide dignam omnium rerum servientium confici curent. Haec si intermissa sit; praesumitur, usufructuarium rem cum omnibus ad ordinarium usum ejus pertinentibus partibus mediae qualitatis obtinuisse.

Media probationis hic obtinentia.

§. 519.

Finito usufructu fructus adhuc pendentes ad dominum pertinent; qui tamen sumtus ad eorum productionem impensos usufructuario aut ejus heredibus, prout bonae fidei possessori, refundere tenetur. Alia commoda usufructuarius aut ejus heredes pro rata temporis, quo ususfructus duravit, postulare possunt.

Distributio fructuum occasione cessantis ususfructus.

§. 520.

Quatenus usuarius aut usufructuarius cautionem praestare teneantur.

De regula dominus ab usuario vel usufructuario tantum in casu periculi se manifestantis cautionem de securitate substantiae exigere potest. Quae si non praestatur; res aut proprietario erga justam recompensationem cedi, aut pro re nata administrationi judiciali tradi debet.

§. 521.

3) Servitus habitationis.

Servitus habitationis consistit in jure partibus aedium habitationi aptis pro necessitate sua utendi. Est ergo servitus usus in domo constituta. Si vero alicui omnes partes domus habitationi aptae salva substantia sine limitatione ad usum conceduntur; ususfructus aedium habetur. Pro hac diversitate praescripta supra recensita ad determinanda mutua jura et obligationes inter habitantem et proprietarium applicanda sunt.

§. 522.

In omni casu tamen proprietario domus jus salvum manet, de omnibus partibus aedium, quae proprie ad habitationem non pertinent, disponendi; nec in necessaria inspectione domus suae ullo modo impediendus est.

§. 523.

Ratione servitutum duplex actio locum habet. Aut enim contra dominum jus servitutis asseritur; aut dominus propter exercitium servitutis querulatur. In primo casu debet actor adquisitionem servitutis, aut saltem possessionem ejus tamquam juris realis; in altero ejus usurpationem in re sua probare.

Jus Actionum respectu servitutum.

§. 524.

In genere servitutes exspirant iis modis, quibus secundum caput tertium et quartum partis tertiae jura et obligationes generatim tolluntur.

Modi, quibus servitutes exspirant. In genere.

§. 525.

Interitus praedii servientis aut dominantis servitutem quidem interrumpit; praedio vero seu aedificio in pristinum statum restituto, servitus priorem suum vigorem recuperat.

Specialia praescripta in earum exspiratione: a) interitu rei servientis aut dominantis;

§. 526.

Si dominium praedii servientis et dominantis in eadem persona conjungitur, servitus eo ipso cessat. Si vero postea unum ex his praediis conjunctis iterum alienatur, quin interea servitus in libris publicis expuncta sit; novus possessor praedii dominantis jure gaudet servitutem exercendi.

b) consolidatione:

§. 527.

c) lapsu temporis.

Si jus mere temporarium ejus, qui servitutem constituit, aut tempus, ad quod restricta fuit, possessori servitutis ex libris publicis, vel alia ratione innotescere potuit; tempore hoc elapso servitus ipso jure cessat.

§. 528.

Servitus alicui usque ad tempus, ubi tertius certam aetatem attigerit, concessa, nonnisi determinato tempore exspirat, licet tertius ante hanc aetatem mortuus sit.

§. 529.

Modi, quibus in specie servitutes personales exspirant.

Servitutes personales morte finiuntur. Si expresse ad heredes extenduntur; in dubio hoc tantum de primis legitimis successoribus intelligendum est. Jus vero familiae concessum in omnia membra ejus transit. Personalis servitus a communitate aut alia persona morali adquisita tamdiu durat, quamdiu persona haec moralis existit.

§. 530.

Quod ad reditus perpetuos applicari nequit.

Reditus annui perpetui servitutibus personalibus adnumerandi non sunt, et hinc secundum naturam suam ad omnes successores transferri possunt.

Caput VIII.

De jure hereditario.

§. 531.

Complexus jurium et obligationum defuncti, quatenus relationibus mere porsonalibus non innituntur, ejus massa hereditaria dicitur. Massa hereditaria.

§. 532.

Jus privativum integram massam hereditariam, aut ejus partem relatione ad totum determinatam (e. g. dimidiam, tertiam) in possessionem capiendi, vocatur jus hereditarium. Hoc jus reale est, contra quemlibet, qui massam hereditariam sibi arrogare vellet, efficax. Is, cui jus hereditarium competit, heres, et massa hereditaria, relate ad ipsum, hereditas nominatur. Jus hereditarium et hereditas.

§. 533.

Jus hereditarium nititur voluntate testatoris legitime declarata; pacto successorio valido (§. 602.) aut lege. Titulus juris hereditarii.

§. 534.

Enumeratae tres species juris hereditarii etiam simul subsistere possunt, ita quidem, ut uni heredi pars relate ad totum determinata ex ultima voluntate, alteri ex pacto, et tertio ex lege competat.

§. 535.

Discrimen inter hereditatem et legatum.

Si alicui nulla pars hereditatis relate ad totum determinata, sed res tantum singularis; una aut plures res certi generis; certa quantitas, aut jus relinquitur; relictum, etiamsi valor ejus maximam partem hereditatis constituat, legatum vocatur, et, cui aliquid ita relictum, non heres, sed legatarius habendus est.

§. 536.

Terminus, a quo hereditas defertur.

Jus hereditarium tantum post mortem testatoris incipit. Si is, cui hereditas destinabatur, ante testatorem decesserit; jus hereditarium nondum adquisitum in suos proprios heredes transferre non potuit.

§. 537.

Si heres testatori supervixit; jus hereditarium, hereditate licet nondum adquisita, sicut alia jura, quae libere in heredes transferri possunt, in proprios ejus heredes

transit; nisi renunciatione aut alio modo prius jam cessasset.

§. 538.

Qui facultate gaudet aliquid adquirendi, de regula etiam defuncto in patrimonium ejus succedere potest. Si quis aut juri adquirendi generatim, aut determinatae hereditati valide renunciavit; hoc ipso jure succedendi in genere, aut jure in determinatam hereditatem privatus est. Habilitas succedendi.

§. 539.

Quatenus communitates ecclesiasticae vel earum membra succedendi capacia sint, constitutiones politicae determinant.

§. 540.

Qui testatoris, ejus liberorum, parentum aut conjugis honorem, corpus, aut patrimonium dolose ita laesit, aut laedere attentavit, ut contra ipsum ex officio, aut ad petitionem laesi secundum leges poenales procedi possit; tamdiu juris succedendi indignus est, dum non ex circumstantiis apparet, testatorem ipsi ignovisse. Rationes inhabilitatis.

§. 541.

Descendentes ejus, qui se juris hereditarii indignum reddidit, jure succedendi non

excluduntur, si indignus ante testatorem decessit.

§. 542.

Qui testatorem ad declarandam ultimam voluntatem vi aut dolo impulit, in declaranda aut mutanda ultima voluntate impedivit, aut jam conditam ultimam voluntatem suppressit, jure succedendi privatur, et omne damnum tertio hoc modo datum praestat.

§. 543.

Adulterium aut incestum judicialiter confessi, aut ejusmodi delictorum convicti jure sibi invicem ex ultima voluntate succedendi destituuntur.

§. 544.

In quantum indigenae, qui patriam suam aut militiam absque legitima permissione deseruerunt; jure succedendi destituti sint, constitutiones politicae, determinant.

§. 545.

In quo momento aliquis ad succedentum habilis esse debeat.

Habilitas succedendi tantum ex momento hereditatis revera delatae determinari potest. Istud momentum de regula est tempus mortis testatoris. (§. 703.)

§. 546.

Habilitas postea adquisita jus non tribuit

aliis id adimendi, quod legitime ipsis jam delatum est.

§. 547.

Effectus hereditatis aditae.

Heres hereditate adita respectu illius testatorem repraesentat. Ambo relate ad tertium pro una persona habentur. Ante aditionem hereditatis hereditas respicitur tamquam a defuncto adhuc possessa.

§. 548.

Obligationes, quas testator e patrimonio suo praestare debuisset, heres ejus suscipit. Mulctae a lege irrogatae, ad quas defunctus nondum condemnatus fuit, in heredem non transeunt.

§. 549.

Ad onera hereditati inhaerentia pertinent quoque sumtus funeris usui loci, conditioni et patrimonio defuncti convenientes.

§. 550.

Plures heredes respectu communis suae hereditatis pro una persona habentur. In hac qualitate ante addictionem judicialem hereditatis in solidum, hoc est, unus pro omnibus et omnes pro uno tenentur. Quatenus post subsecutam traditionem teneantur, in capite

de capienda possessione hereditatis determinatur.

§. 551.

Quis hereditati renunciare possit.

Qui de jure suo hereditario ipsemet valide disponere potest, ei quoque facultas competit, in antecessum illi renunciandi. Talis renunciatio etiam in successores effectum suum exerit.

Caput IX.

De ultimae voluntatis declaratione in genere, et de testamentis in specie.

§. 552.

Dispositio, qua testator patrimonium suum, aut partem ejus, in unam aut plures personas revocabili modo pro casu mortis transfert, ultima voluntas nominatur. Declaratio ultimae voluntatis.

§. 553.

Ultimae voluntatis declaratio heredis institutionem continens testamentum; alias vero dispositiones tantum continens codicillus appellatur. Requisita: I. Forma interna.

§. 554.

Si testator unicum heredem, sine restrictione ad certam partem hereditatis, indeterminate instituit; universa massa hereditaria ipsi cedit. Si vero ejusmodi heredi nonnisi pars relate ad totam hereditatem determi- Distributio hereditatis: a) si unus tantum heres;

nata assignata sit; reliquae partes heredibus ab intestato cedunt.

§. 555.

b) si plures sine divisione;

Plures absque divisione praescripta heredes instituti aequas partes capiunt.

§. 556.

c) si omnes determinatis portionibus;

Si plures heredes et quidem omnes ad determinatas portiones, totum autem non exhaurientes, instituti sunt, portiones reliquae in heredes legitimos devolvuntur. Si vero testator heredes in universam hereditatem instituerit; heredes legitimi nihil petere possunt, licet testator in computatione quantitatum aut in enumeratione rerum ad hereditatem pertinentium aliquid omisisset.

§. 557.

d) si aliqui portionibus assignatis, alii portionibus non assignatis instituti sunt.

Si inter plures institutos heredes quibusdam portio determinata (e. g. pars tertia, aut sexta) aliis vero nihil determinati confertur; posteriores reliquam hereditatem aequis portionibus adipiscuntur.

§. 558.

Si nihil residuum est pro herede in partem indeterminatam scripto, ex omnibus determinatis portionibus pro rata tantum detrahi debet, ut aequalem portionem cum illo, cui

minima pars collata est, obtineat. Si portiones heredum aequales sunt, heredi indeterminate instituto tantum cedere obligantur, ut aequalem cum iis portionem accipiat. In omni alio casu, ubi testator in calculo errorem commisit, divisio eo modo instituenda est, ut voluntas testatoris juxta proportiones, quoad universam hereditatem statutas, quam maxime adimpleatur.

§. 559.

Qui heredes pro una persona habeantur.

Si inter heredes institutos hujusmodi personae concurrunt, quarum aliquae in successione legitima respectu reliquarum pro una persona habendae sunt (e. g. fratris liberi relate ad fratrem testatoris); hae etiam in divisione ex testamento pro una tantum persona habentur. Corpus, universitas, coetus (e. g. pauperum) semper tantum pro una persona numerantur.

§. 560.

Jus accrescendi.

Si omnes heredes portionibus non determinatis vel sub expressione generali: aequis ex partibus, ad hereditatem vocantur, et aliquis heredum jure suo succedendi uti aut non potest, aut nonvult, pars destituta reliquis heredibus institutis accrescit.

§. 561.

Si unus aut plures heredes determinatis partibus, alter aut plures partibus indeterminatis instituti sunt; pars destituta nonnisi reliquo aut reliquis indeterminate institutis heredibus accrescit.

§. 562.

Heredi in partem determinatam instituto nunquam jus accrescendi competit. Si ergo nullus indeterminate institutus heres restat; portio hereditaria destituta non superstiti, in certam partem instituto, sed legitimo heredi cedit.

§. 563.

Qui partem destitutam obtinet, suscipit etiam onera cum ea conjuncta, nisi ad actus personales heredis instituti restricta fuissent.

§. 564.

Testator ipse heredem instituere debet; non vero ejus nominationem tertio alicui committere.

§. 565.

Declaratio debet esse deliberata, determinata et libera.

Voluntas testatoris determinate, non solum per meram affirmationem factae ipsi propositionis, in statu mentis integrae, conside-

rate et serio ,sine vi, dolo, et errore essentiali declaranda est.

§. 566.

Rationes inhabilitatis testandi: 1) defectus mentis integrae;

Declaratio, si probatur eam in statu furoris, dementiae, plenae animi hebetudinis, aut ebrietatis factam esse, invalida est.

§. 567.

Si quis asserit testatorem, qui usum rationis perdiderat, tempore ultimae voluntatis declarationis mentis suae plene compotem fuisse; istud assertum per artis peritos, aut personas magistratus auctoritate gaudentes, qui statum animi testatoris exacte explorarunt; aut aliis argumentis fide dignis indubium reddendum est.

§. 568.

2) prodigalitatis declaratio; quatenus;

Prodigus judicialiter talis declaratus tantum de dimidia parte sui patrimonii per ultimam voluntatem disponere potest; altera dimidia pars heredibus ab intestato cedit.

§. 569.

3) aetas immatura;

Impuberes testandi incapaces sunt. Minores, qui decimum octavum annum nondum excesserunt, tantum nuncupative coram judice testari possunt. Judicii est inquisitione convenienti convictionem quaerere, ultimae

voluntatis declarationem libere et considerate fieri. Talis declaratio protocollo inserenda est addito eo, quod ex inquisitione facta enituit. Decimo octavo anno aetatis superato, ultima voluntas sine ulla limitatione declarari potest.

§. 570.

4) error essentialis;

Error essentialis testatoris dispositionem ejus invalidam reddit. Error essentialis est, si testator in persona, quam instituere, aut in re, quam legare voluit, erravit.

§. 571.

Si appareat, personam institutam, aut rem legatam solummodo false denominatam, aut descriptam fuisse, dispositio valet.

§. 572.

Etiamsi causa a testatore allegata falsa inveniatur, dispositio valida manet; nisi probetur, voluntatem testatoris unice huic erroneo motivo innixam fuisse.

§. 573.

5) vota religiosa;

Regulares generatim facultate testamentum condendi non gaudent: quod si vero ordo aliquis privilegio, vi cujus membra ejus testari possint, instructus est, si personae regulares a votis suis solutae sunt; si ob subla-

tionem earum ordinis, coenobii aut monasterii, conditionem suam mutaverunt; aut si hujusmodi munus obtinuerunt, ut vi constitutionum politicarum amplius tamquam membra ordinis, coenobii aut monasteri non respiciantur, sed dominium plenum adquirere possint, ipsis per declarationem ultimae voluntatis de eo disponere licet.

§. 574.

6) gravis poena criminalis.

Delinquens ad poenam mortis condemnatus a die ipsi publicatae sententiae; si vero ad durissimos vel duros carceres condemnatus est, durante illius poena validam ultimae voluntatis suae declarationem condere nequit.

§. 575.

Terminus validitatis dispositionis ultimae.

Ultimae voluntatis dispositio per se valida per impedimenta supervenientia validitate sua non destituitur.

§. 576.

Ultimae voluntatis declaratio ab initio invalida sublatione impedimentorum postea subsecuta non convalescit. Si in hujusmodi casu nova dispositio nulla conditur; jus ex lege succedendi locum habet.

§. 577.

II. Forma ex-

Testamentum extrajudicialiter aut judi-

terna ultimae voluntatis declarationum: cialiter, scripto aut nuncupative; et scripto cum vel sine testibus condi potest.

§. 578.

1) extrajudicialis scriptae; Qui scripto et sine testibus testari vult, testamentum vel codicillum propria manu scribere, et propria manu subscribere debet. Ut etiam dies, annus, et locus, ubi ultimae voluntatis declaratio facta sit, exprimatur, non quidem necessarium, sed ad lites evitandas consultum est.

§. 579.

Ultimae voluntatis dispositioni, quam testator per aliam personam scribi curavit, propria manu subscribere tenetur. Porro coram tribus testibus habilibus, quorum ad minimum duo simul praesentes esse debent, ipsi confirmandum est, tabulas revera ultimam suam voluntatem continere. Tandem etiam ut testes vel intus vel extra, sed semper in ipso instrumento, et non fortasse in involucro, tamquam testes ultimae voluntatis subscribant oportet. Ut testis argumentum testamenti sciat, necessarium non est.

§. 580.

Testator, qui scribere nequit, praeter solemnitates in §. priori praescriptas, loco

subscriptionis signum propria manu sua factum, et quidem in praesentia omnium trium testium apponere obligatur. Ut facilius cognoscatur, quis testator sit, cautum quoque est, ut unus ex testibus nomen testatoris subscribat, cum adnotatione, se hoc vice illius fecisse.

§. 581.

Si testator legere nequit, oportet ut tabulas per unum testem in praesentia duorum reliquorum, qui earum argumentum inspexerunt, sibi praelegi faciat, et confirmet, illas voluntati suae consentaneas esse. Testamentum scribens semper simul et testis esse potest.

§. 582.

Dispositio testatoris provocans ad schaedam aliquam aut scripturam tunc tantum efficax est, si hujusmodi scriptura omnibus ad validitatem ultimae voluntatis necessariis requisitis instructa est. Extra hunc casum scriptae ejusmodi notae a testatore indicatae, tantum interpretationi ejus voluntatis inserviunt.

§. 583.

De regula eaedem tabulae tantum pro uno testatore valent. Exceptio respectu con-

jugum in capite de pactis dotalibus continetur.

§. 584.

Testatori, qui solemnitates ad testamentum scriptum requisitas observare nequit, aut nonvult, licet testamentum nuncupativum condere.

§. 585.

2) extrajudicialis nuncupativae;

Qui testamentum nuncupativum facit, coram tribus idoneis testibus, simul praesentibus, et fidem facere valentibus, quoad personam testatoris fraudem aut errorem non intercessisse, serio voluntatem suam declarare debet. Necessarium quidem non est, sed cautum, ut testes aut omnes simul, aut quilibet pro se, adjuvandae memoriae causa declarationem testatoris aut ipsi scriptis mandent, aut, quam primum fieri potest, mandari curent.

§. 586.

Ultimae voluntatis dispositio nuncupativa, ut valeat, ad petitionem cujuslibet, cujus interest, per requisitorum trium testium, aut si unus eorum amplius percipi non posset, ad minimum duorum reliquorum effatum concordans juramento confirmatum probanda est.

§. 587.

Potest quoque testator testamentum scriptum vel nuncupativum coram judice facere. Dispositio scripta a testatore ad minimum propria manu subscripta esse, et ab ipso personaliter judicio tradi debet. Judicii est, testatorem admonere, subscriptionem ipsius propria manu appositam esse debere, deinde tabulas judicialiter obsignare et in involucro adnotare, cujus ultima voluntas in eo contenta sit. Negotium protocollo excipiendum est, et tabulae erga receptionis testimonium in judicio asservandae. 3) judicialis.

§. 588.

Testatoris voluntatis declaratio nuncupativa protocollo inscribenda, quod eodem modo, uti in praecedenti §. de ultima voluntate scripta dictum fuit, obsignatum reponendum est.

§. 589.

Judicium, coram quo scripta aut nuncupativa ultimae voluntatis declaratio fit, ad minimum ex duabus personis judicialibus juramento adstrictis consistere debet, quarum alterutri in eo loco, ubi declaratio instituitur, jurisdictio competat. Testimonium se-

cundae personae judicialis, quae praeter judicem requiritur, etiam alii duo testes supplere possunt.

§. 590.

Exigente necessitate possunt personae prius determinatae se in habitationem testatoris conferre, ejus voluntatis declarationem scriptam aut nuncupativam excipere, et deinde actum, addito die, anno et loco, protocollo inserere.

§. 591.

Testes inhabiles in ultimae voluntatis dispositionibus.

Religiosi, juvenes infra decimum octavum annum, foeminae, usu rationis destituti, coeci, surdi, aut muti, deinde illi, qui linguae testatoris ignari sunt, in ultimae voluntatis dispositionibus testes esse nequeunt.

§. 592.

Qui criminis falsi aut alterius ex lucri cupiditate orientis criminis condemnatus est, testis adhiberi nequit.

§. 593.

Qui christianam religionem non profitetur, in ultimae voluntatis dispositione christiani testis esse non potest.

§. 594.

Heres aut legatarius respectu rei ipsi relictae habilis testis non est, nec ejus conjux, parentes, liberi, fratres aut affines ejusdem gradus, et ejus domestici mercede conducti. Ut dispositio valeat, a testatore propria manu scribenda; aut per alios tres a mox dictis personis diversos testes confirmanda est.

§. 595.

Si testator ei, qui ultimae voluntatis declarationem scribit, aut ejus conjugi, prolibus, parentibus, fratribus vel sororibus, aut affinibus ejusdem gradus aliquid relinquere vult; dispositio modo in §. praecedenti praescripto comprobanda est.

§. 596.

Quod de testis libertate a partium studio et habilitate personam testatoris indubiam reddendi praescribitur, ad judiciales quoque personas, quae ultimae voluntatis dispositionem excipiunt, applicandum est.

§. 597.

De ultimae voluntatis dispositionibus privilegiatis.

In ultimae voluntatis dispositionibus, quae conduntur in navigationibus et in locis, ubi pestis aut similes morbi epidemici grassantur, etiam membra ordinis religiosi, foe-

minae et adolescentes, qui decimum quartum annum adimpleverunt, testes validi sunt.

§. 598.

In hujusmodi ultimae voluntatis dispositionibus privilegiatis tantum duo testes requiruntur, quorum unus testamentum scribere potest. In periculo contagionis nec necessarium est, ut ambo simul praesentes sint.

§. 599.

Sex mensibus post finitam navigationem aut contagionem elapsis privilegiatae ultimae voluntatis dispositiones validitate sua destituuntur.

§. 600.

Favores, quibus gaudent testamenta militaria, in legibus militaribus continentur.

§. 601.

Invaliditas ultimae voluntatis dispositionum solemnitatibus non instructarum.

Si testator unum ex his requisitis praescriptis, haud expresse solummodo tamquam cautela arbitrio relictis, non observaverit; ultimae voluntatis dispositio invalida est.

§. 602.

Pacta successoria tantum inter conjuges valent.

Pacta successoria de integra hereditate, aut parte ejus per relationem ad totum determinata, tantum inter conjuges valide con-

trahi possunt. Praescripta eo se referentia continentur in capite de pactis dotalibus.

§. 603.

Quatenus donatio mortis causa tamquam pactum, vel tamquam ultimae voluntatis dispositio consideranda sit, in capite de donationibus determinatur. De donationibus mortis causa. Provocatio.

Caput X.

De substitutione et fideicommissis.

§. 604.

Substitutio vulgaris.

Quilibet testator pro casu, ubi institutus heres hereditatem non adipiscatur, alium; et si et iste eam non obtineat, secundum, et pro simili casu tertium, immo et plures adhuc substitutos nominare potest. Hujusmodi dispositio vulgaris substitutio nominatur. Qui in serie proximus est, hereditatem obtinet.

§. 605.

Si testator ex his casibus duobus: si institutus heres esse non possit, aut heres esse nolit, alterutrum tantum expressit; alter exclusus est.

§. 606.

Jura inde oriunda.

Onera heredi imposita etiam in substitutum in ejus locum venientem extenduntur, nisi expressa voluntate testatoris, aut natura

circumstantiarum, ad personam instituti heredis limitata sint.

§. 607.

Si coheredes soli sibi invicem substituti sunt; praesumitur, testatorem portionum determinationem in institutione factam ad substitutionem quoque extendere voluisse. Si autem in substitutione praeter coheredes quisquam instituitur, portio destituta omnibus aequa lance cedit.

§. 608.

Substitutio fideicommissaria.

Testator heredi suo obligationem imponere potest, ut hereditatem post mortem suam, aut in aliis quibusdam casibus determinatis, in alterum nominatum heredem transmittat. Haec dispositio substitutio fideicommissaria vocatur. Substitutio fideicommissaria tacite vulgarem in se comprehendit.

§. 609.

Quatenus parentes prolibus suis substituere possint.

Ipsi parentes prolibus suis etiam in eo casu, ubi hae testari non possunt, tantum respectu patrimonii a se relicti heredem aut substitutum nominare valent.

§. 610.

Substitutio fideicommissaria tacita.

Si testator heredi de hereditate ipsi relicta testari prohibuit; substitutio fideicom-

missaria est, et heres obligatur hereditatem pro suis legitimis heredibus conservare. Interdictum rem alienandi jus de ea testamentum condendi non excludit.

§. 611.

Limites fideicommissariae substitutionis.

Series, in qua heredes fideicommissarii sibi invicem subsequuntur, si omnes coaevi testatoris sunt, nullo modo limitatur, sed in tertium, quartum, et ulterius adhuc extendi valet.

§. 612.

Si coaevi non sunt, sed hujusmodi substituti, qui tempore conditi testamenti nondum nati fuerunt; fideicommissaria substitutio quidem respectu pecuniae, aliarumque rerum mobilium ad secundum usque gradum extendi potest: respectu rerum immobilium vero tantum ad primum usque gradum valet; in determinatione tamen graduum nonnisi ille heres computatur, qui possessionem hereditatis adeptus est.

§. 613.

Jura heredis in substitutione fideicommissaria.

Quousque casus substitutionis fideicommissariae non existit, heredi instituto dominium limitatum, cum juribus et obligationibus usufructuarii, competit.

§. 614.

Substitutio, dubie expressa, eo modo interpretanda est, quo libertas heredis de dominio disponendi ut minimum limitatur. Interpretatio substitutionum.

§. 615.

Substitutio vulgaris exspirat, quando heres institutus hereditatem adivit; fideicommissaria, si nemo heredum substitutorum amplius superest; aut, si casus, pro quo facta fuit, cessat. Modi, quibus substitutio vulgaris et fideicommissaria exspirat.

§. 616.

In specie substitutio fideicommissaria mente capto facta (§§. 608. 609.) invalida fit, si probatur, ipsum tempore ultimae voluntatis suae declarationis plene mentis compotem fuisse; aut si judicium ei propter recuperatum usum rationis liberam administrationem patrimonii concessit; neque ejusmodi substitutio reconvalescit, si propter usum rationis iterum amissum denuo curatelae subjectus fuerit, et intermedio tempore nullam ultimae voluntatis dispositionem fecerit.

§. 617.

Substitutio a testatore proli suae, nullos adhuc descendentes habenti facta, cessat, si

ista proles descendentes ad succedendum habiles reliquit.

§. 618.

Fideicommissum.

Fideicommissum (familiae) est dispositio, vi cujus aliquod patrimonium pro omnibus futuris, aut saltem pluribus gentis alicujus successoribus tamquam inalienabile bonum familiae declaratur.

§. 619.

Species principales fideicommissorum.

Fideicommissum in genere vel est primogenitura, vel majoratus, vel senioratus, prouti fundator ejus successionem aut primogenito e linea natu majoris; aut gradu proximo e familia; inter duos aeque propinquos vero natu majori; aut demum, nullo respectu habito lineae, natu maximo e familia destinaverit.

§. 620.

In dubio primogenitura potius, quam majoratus aut senioratus; et majoratus iterum potius, quam senioratus praesumitur.

§. 621.

Modus succedendi in diversis his speciebus.

In primogenitura linea natu minoris solummodo post exstinctionem lineae natu majoris in fideicommisso succedit, ita ut frater ultimi possessoris ejus filiis, nepotibus, pro-

nepotibus et ulterioribus successoribus postponatur.

§. 622.

Invertere quoque penitus potest fundator ordinem successionis, et postremogenitum e linea natu majoris, aut natu minimum ex omnibus lineis; aut in genere eum ad successionem vocare, qui gradu aut fideicommissi fundatori, primo adquirenti, aut ultimo possessori proximus est.

§. 623.

Si fundator hac in re clare voluntatem suam non pronunciavit, magis ultimi possessoris, quam fundatoris fideicommissi et primi adquirentis, ratio habetur. Pluribus personis in aequali gradu exstantibus pro majori aetate deciditur.

§. 624.

Si fundator disponit, ut fideicommissum semper proximo e familia competat; secundum generalem ordinem succedendi ab intestato ex descendentibus masculinis proximus intelligendus est. Pluribus consanguineis aeque propinquis existentibus ususfructus fideicommissi communis fit, nisi ex dispositione contrarium appareat.

§. 625.

Si quis praeter fideicommissum pro linea primogeniti secundum, aut plura fideicommissa pro lineis posterioribus instituerit; possessor primi fideicommissi, et ejus descendentes tunc tantum ad possessionem alterius fideicommissi perveniunt, si in reliquis lineis posteri ad fideicommissum vocati nulli exstant, et fideicommissa tamdiu solummodo in una persona conjuncta manent, donec iterum duae aut plures lineae exstiterint.

§. 626.

Posteritas foeminea de regula in fideicommissis succedere nequit. Si vero fundator expresse disposuit, ut exstincta stirpe mascula fideicommissum in lineas muliebres transeat; hoc secundum ordinem pro successione sexus masculini praescriptum fit; attamen successores masculi ejus lineae, quae ad possessionem fideicommissi pervenit, successoribus muliebribus praeferuntur.

§. 627.

Conditiones in fundatione fideicommissi observandae.

Sine peculiari legislatoris consensu fideicommissum fundari nequit. In ejus fundatione inventarium rite et modo fide digno omnium ad fideicommissum pertinentium rerum

conficiendum, et in judicio asservandum est. Istud inventarium occasione cujuslibet mutationis possessionis et in separatione fideicommissi a patrimonio libero normae inservit. Securitati fideicommissi a judicio secundum specialia praescripta prospiciendum est.

§. 628.

Qui fideicommissum instituit, jure gaudet ejus institutionem revocandi, quamdiu nemo adhuc per traditionem aut pactum jus ad illud adquisivit. Et voluntas pro revocata habetur, si testatori heres legitimus masculini sexus, qui in fideicommisso comprehensus non est, nascitur. Revocatio fundationis.

§. 629.

Dominium substantiae fideicommissi inter omnes, qui ad successionem in eo vocati sunt, et praesentem possessorem ejus divisum est. Illis unice dominium directum competit, huic vero etiam dominium utile. Principium ratione jurium ad successionem in fideicommisso vocatorum, et ejus possessoris.

§. 630.

Dominium directum ad fideicommissum vocatis jus tribuit depositionem judicialem chirographorum ad fideicommissum pertinentium exigendi; malam bonorum fideicommissariorum administrationem judicio deferendi; Jura specialia ad fideicommissum vocatorum.

ad defensionem fideicommissi et posteritatis communem fideicommissi curatorem proponendi; in genere omnes ad securitatem substantiae necessarias dispositiones faciendi.

§. 631.

Jura illimitata possessoris et ejus obligationes.

Fideicommissi possessor omnia jura et obligationes domini utilis habet. Ipsi competunt omnia commoda ex bono fideicommissario, et ex accessione, non vero ejus substantia. Ipse vero quoque fert omnia onera. De substantia sine ejus reatu diminuta non tenetur.

§. 632.

Jura limitata: a) respectu renunciationis et oppignorationis;

Fideicommissi possessor quidem pro se, nullatenus vero pro posteritate, licet nondum existente, juri suo renunciare potest. Si fructus fideicommissi aut ipsum bonum fideicommissarium oppignorat; oppignoratio tantum valet respectu ejus partis fructuum, quos percipiendi jus habet, non vero respectu boni fideicommissarii, aut ejus partis fructuum, qui successori competunt.

§. 633.

b) respectu transmutationis, aut locationis here-

Sub limitatione mox subsequenti possessor fideicommissi bonum immobile fideicommissarium in sortem pecuniariam transmuta-

re, et fundos pro aliis fundis permutare, aut erga census convenientes distribuere, aut hereditario modo elocare potest. ditariae boni fideicommissarii;

§. 634.

Ad has mutationes fideicommissi possessor consensu instantiae judicialis ordinariae opus habet; quae obligatur omnes ad fideicommissum vocatos notos, aut, his minorennibus vel absentibus, eorum curatores; deinde curatorem fideicommissi et posteritatis audire; an rationes graves adsint dijudicare; et in specie in concessione divisionis fundorum curare, ne modus in constitutionibus politicis praescriptus excedatur. Pretium hoc modo obtentum tamquam sors capitalis fideicommissaria locatur.

§. 635.

Possessor fideicommissi tertiam partem ejus debitis onerare potest; aut, si fideicommissum in pecunia consistit, tertiam partem ejus levare. Ad hoc consensu ad fideicommissum vocatorum et curatorum non eget; sed tantum consensu ordinariae instantiae judicialis. c) respectu onerationis.

§. 636.

In hanc tertiam partem omnia bono fidei- Determinatio tertiae

partis debitis onerandae, commissario sub quocunque titulo inherentia onera ita imputanda sunt; ut duae tertiae partes penitus liberae maneant.

§. 637.

et valoris boni fideicommissarii. Valor boni fideicommissarii, si de permutatione aut oneratione ejus agitur, per detaxationem judicialem; si vero agitur de ejus conversione in sortem pecuniariam, per licitationem publicam determinatur.

§. 638.

Modus debitorum solutionis. Solutiones debiti fideicommissarii ita determinandae sunt, ut quolibet anno quinque pro centum restituantur. Tantum ex rationibus gravibus prolongatio termini concedenda est.

§. 639.

Si possessor fideicommissi partem soluti denuo in usum suum recipere vult; ad hanc partem expungendam insuper quolibet anno quinque a centum illius solvere debet.

§. 640.

Quatenus successores de debitis teneantur. Successor in fideicommisso solummodo debita sui antecessoris cum consensu judiciali contracta solvere obligatur. De solutionibus restantibus, quae ad expunctionem eorum jam praestandae fuissent, eatenus tantum tenetur,

quatenus ex patrimonio antecessoris libere ad heredes transmittendo praestari non possunt.

§. 641.

Sumtus majores ab antecessore ad conservationem aut magni momenti meliorationes fideicommissi ita erogati, ut antecessor propterea bonum fideicommissarium debitis onerandi jus habuisset, refundendi ipsi sunt. Ad hanc refusionem vero praestandam successores facultate gaudent, tertiam partem boni fideicommissarii debitis onerandi. Horum debitorum expunctio modo in §. 638. praescripto instituenda est.

§. 642.

Creditor fideicommissarius solutionem debiti, licet judiciali cum consensu in fideicommissum contracti, non ex ipsa sorte, sed tantum ex proventibus ejus, exigere valet.

§. 643.

Distributio fructuum ultimi anni.

Fructus ultimi anni inter heredes antecessoris et successorem in fideicommisso, quemadmodum inter usufructuarium et proprietarium (§. 519.) distribuuntur.

§. 644.

Sublatio.

Fideicommissum tolli potest, si posteri ad fideicommissum vocati nulli amplius ex-

spectandi sunt. Ad dissolutionem vero vinculi fideicommissarii praeter consensum domini utilis et omnium ad illud vocatorum, edicto citandorum, suffragium quoque curatoris posteritatis et consensus judicialis requiritur.

§. 645.

aut cessatio fideicommissi.

Fideicommissum exspirat ejus interitu, aut exstinctis sine spe posteritatis, omnibus in litteris fundationis vocatis lineis. In posteriori casu dominium directum cum dominio utili conjungitur, et possessor pro arbitrio de fideicommisso disponere potest.

§. 646.

Discrimen inter fideicommissa et fundationes.

A substitutionibus et fideicommissis distinguendae sunt fundationes, quibus reditus ex pecuniis locatis, fundis aut juribus ad instituta publicae utilitatis, uti: beneficia ecclesiastica, scholas, nosocomia aut ptochotrophea; vel sustentationem certarum personarum pro omni tempore futuro destinantur. Praescripta de fundationibus in constitutionibus politicis continentur.

CAPUT XI.

De Legatis.

§. 647.

Ad validitatem legati (§. 535.) requiritur, ut a testatore habili, personae jure succedendi instructae, per validam ultimae voluntatis declarationem relinquatur. A quo, quomodo et cui legari;

§. 648.

Testator etiam uni aut pluribus coheredibus praelegatum relinquere potest, ratione cujus solummodo tamquam legatarii considerandi sunt.

§. 649.

Legata de regula portiones hereditarias omnium heredum etiam in eo casu, quando res coheredis alicujus propria legata fuit, pro rata diminuunt. Interim testatori liberum est praestationem legati coheredi, aut legatario alicui in specie imponere. et cui legata imponi possint.

§. 650.

Legatarius plenae praestationi legati sibi impositi ex ea ratione, quod valorem rei ipsi legatae superet, se subtrahere nequit. *Si* vero legatum non acceptat, ille, ad quem devolvitur, jussum exequi obligatur, aut legatum ipsi devolutum legatario in illud assignato cedere.

§. 651.

Testator, qui legatum certae classi personarum; uti: consanguineis, servis aut pauperibus reliquit, distributionem, quibus ex his personis aliquid, et quid singulis tribuendum sit, heredi vel tertio committere potest. Si testator hac de re nihil disposuit, delectus heredi relinquitur.

§. 652.

Substitutiones in legatis.

Testator in legato vulgariter, aut fideicommissarie substituere potest, in hujusmodi casu praescripta praecedentis capitis observanda sunt.

§. 653.

Objecta legati.

Omnia, quae in commercio sunt: res, jura, operae et alii actus valorem habentes legari possunt.

§. 654.

Si res legantur, quae quidem in communi commercio sunt, quae vero legatarius pro sua persona possidere nequit, ordinarius valor ipsi refunditur.

§. 655.

Generalis interpretandi regula ratione legatorum.

Verba etiam in legatis ordinaria sua significatione accipiuntur; nisi probetur, testatorem certis expressionibus sensum specialem ipsi tantum proprium adhibere solitum fuisse; aut legatum communi sensu accepto effectum nullum habere.

§. 656.

Specialia praescripta respectu legati; a) rerum certi generis;

Si testator unam aut plures res certi generis, ast sine propiori determinatione legaverit, pluribus hujusmodi rebus in massa hereditaria exstantibus, heredi optio competit. Debet vero speciem eligere, qua legatarius uti possit. Si legatario permittitur unam ex pluribus rebus sibi accipere aut eligere, optimam quoque seligere ipsi fas est.

§. 657.

Si testator unam aut plures res certi generis expresse tantum e patrimonio suo legavit, et hujusmodi res in massa hereditaria nullae exstant, legatum effectu destituitur.

Quodsi in quantitate determinata non exstent; legatarius illis, quae exstant, contentus sit oportet.

§. 658.

Una aut pluribus rebus certi generis non expressé e patrimonio testatoris legatis, et hujusmodi rebus in massa hereditaria non exstantibus, heres ipsas legatario in qualitate conditioni et necessitatibus ejus convenienti comparare obligatur. Legatum quantitatis pecuniae heredem ad eam solvendam obligat, nullo habito respectu, an parata pecunia in massa hereditaria exstet, necne.

§. 659.

Testator optionem rei legatae tertio quoque relinquere potest. Hoc optionem recusante vel ante eam defuncto, judicium rem legatam determinat, ratione habita conditionis et necessitatis legatarii. Ejusmodi judicialis determinatio in eo quoque casu locum habet, quo legatarius, antequam elegerit, mortuus est.

§. 660.

b) legatum speciei; Legatum speciei a legatario, si in una aut diversis dispositionibus iterato occurrit, non simul in natura et in valore exigi valet.

Alia legata, etiamsi rem ejusdem generis aut eamdem quantitatem contineant, legatario toties praestanda sunt, quoties repetita fuerunt.

§. 661.

Legatum evanescit, si res legata jam tempore ultimae voluntatis dispositionis in dominio legatarii fuit. Si eam serius adquisivit, pretium ordinarium ipsi solvitur. Si vero illam ab ipso testatore et quidem gratis obtinuit, legatum pro sublato habendum est.

§. 662.

Legatum rei alienae, quae nec ad testatorem, nec heredem aut legatarium tertio cuipiam eam tradere jussum pertinet, effectu destituitur. Si personis memoratis pars rei aut jus in eam competit; legatum tantum de hoc jure vel hac portione intelligendum est. Si res legata sit oppignorata vel onerata, qui eam accipit, simul onera ei inhaerentia suscipit. Si vero testator expresse disponit, ut res certa aliena ematur, et legatario tradatur, dominus vero eam pretio detaxationis alienare nonvult, istud pretium legatario praestari oportet.

c) rei alienae;

§. 663.

Si testator id legat, quod legatarius ipsi

d) legatum liberationis,

debet, heres obligatur ad restituendum chirographum aut instrumentum exarandum de sublata obligatione debitum atque usuras solvendi.

§. 664.

nominis, Si cui nomen legatur, quod testatori erga tertium competit, heres creditum cum usuris restantibus et ulterius currentibus legatario cedere tenetur.

§. 665.

debiti. Legatum debiti, quo testator legatario obligatur, eum habet effectum, ut heres debitum a testatore diserte expressum, aut a legatario probatum agnoscere, et illud, nulla ratione habita conditionum aut terminorum in chirographo contentorum, ad summum intra terminum ad praestationem reliquorum legatorum statutum solvere teneatur. Creditoribus vero testatoris, quibus hoc modo praejudicium fieret, ista agnitio detrimento esse nequit.

§. 666.

Remissio debitorum solummodo de praesentibus; non vero etiam de debitis post legatum conditum ortis intelligenda est. Si per legatum jus pignoris aut fidejussio remittitur,

inde non sequitur, debitum quoque remissum esse. Si termini solutionis prorogantur, tamen usurae porro solvendae sunt.

§. 667.

Si testator alicui certam quantitatem debet, et ipsi similem quantitatem legat; non praesumitur, debitum per legatum expungere voluisse. Heres in hoc casu quantitatem hanc in duplo solvit, primo tamquam debitum, deinceps tamquam legatum.

§. 668.

Sub legato omnium creditorum exstantium tamen nec jura ex chirographis publicis, nec etiam sortes capitales in rem immobilem inscriptae, nec actiones ex jure reali orientes comprehenduntur.

§. 669.

Dos potest legari aut in eum finem, ut maritus a restitutione ejus liberetur, aut ut heredi obligatio imponatur, uxori quantitatem vel rem tamquam dotem illatam sine probatione, et impensis in eam erogatis non subtractis, tradendi. In hoc legato valent regulae de aliis creditis legatis praescriptae. e) dotis.

§. 670.

Si testator tertiae personae dotem inde-

terminatam legat, dos tanta; nullo respectu habito proprii legatariae patrimonii, intelligenda est, quantam pater hujus personae mediocri fortuna gaudens pro conditione sua dare deberet.

§. 671.

Dos a parentibus filiabus legata in portionem ipsis ab intestato vel ex ultimae voluntatis dispositione competentem imputatur, nisi diserte tamquam praelegatum relicta fuerit.

§. 672.

f) alimentorum; educationis; aut victus.

Legatum alimentorum victum, amictum, habitationem et reliqua necessaria, et quidem ad dies vitae, nec minus necessariam eruditionem in se complectitur. Ista omnia etiam educationis denominatione comprehenduntur. Educatio obtenta majorennitate finitur. Victu cibus et potus ad dies vitae intelliguntur.

§. 673.

Modus legatorum in praecedenti §. recensitorum, si nec ex expressa, nec ex tacita, per sustentationem hucusque a testatore praestitam declarata voluntate ejus elucescit, determinandus est ex conditione legatario propria, aut ei per sustentationem hucusque obtentam destinata.

§. 674.

Legato mobilium suppellectilium (Meubeln) tantum requisita ad habitationis usum decorum; legato suppellectilis aut apparatus domestici simul utensilia ad gestionem rei domesticae requisita intelliguntur. Instrumenta ad opificium exercendum necessaria sine propiori declaratione in eo non comprehenduntur.

g) mobilium; suppellectilis;

§. 675.

Si cuiquam repositorium legatum fuit, quod non per se subsistit, sed tantum pars alicujus totius est; de regula praesumitur, illas tantum res relictas esse, quae tempore mortis testatoris in eo inveniebantur, et ad quarum custodiam repositorium natura sua destinatum et a testatore ordinarie adhibitum fuit.

h) repositorii;

§. 676.

Si vero repositorium mobile est, aut saltem res per se existens, legatarius solummodo repositorium, non autem res in eo inventas, poscere valet.

§. 677.

Si scrinium, armarium aut arca cum omnibus ibi existentibus rebus legatur, ad le-

gatum quoque numerantur aurum et argentum, ornatus et pecunia parata, immo etiam chirographa a legatario testatori exarata. Alia chirographa aut instrumenta, quibus credita et jura testatoris innituntur, tunc tantum huc adnumerantur, si praeter illa nihil in repositorio existit. Ad legatum rerum fluidarum quoque pertinent vasa ad transportationem earum destinata.

§. 678.

i) gemmarum, ornatus et mundi;

Nomine gemmarum de regula tantum lapides pretiosi et margaritae genuinae; nomine ornatus etiam lapides spurii et ornamenta ex auro vel argento confecta sive eis obducta, ad ornandam personam destinata; et sub mundo ea intelliguntur, quae praeter ornatum, ornamenta et vestes, ad ornandam personam adhibentur.

§. 679.

k) auri vel argenti; linteorum; currus et equorum (Equipage.)

Legatum auri vel argenti comprehendit sub se aurum et argentum fabricatum et non fabricatum, sed non signatum, nec illud, quod tantum partem vel ornamentum alterius rei hereditariae, e. g. horologii, pyxidis, constituit. Lintea non adnumerantur vestimentis, nec limbi reticulati ad lintea, sed potius ad

res mundo destinatas pertinent. Sub legato currus et equorum (Equipage) equi vectarii et currus ad commoditatem testatoris destinati cum rebus equis imponi solitis, non vero equi sellarii et res ad usum eorum pertinentes intelliguntur.

§. 680.

Ad pecuniam paratam pertinent quoque ea instrumenta fide publica exarata, quae in ordinario commercio paratae pecuniae locum tenent. l) pecuniae paratae;

§. 681.

Nomine liberorum, si testator liberos alterius instituit, tantum filii et filiae, si vero proprios suos liberos instituit, etiam descendentes in eorum locum succedentes, qui tempore mortis testatoris jam exstiterunt, comprehenduntur. m) Quis nomine liberorum;

§. 682.

Legatum sine propiori determinatione consanguineis relictum cedit illis, qui secundum ordinem succedendi ab intestato proximi sunt, et regula supra §. 559. de distributione hereditatis inter personas, quae pro una habentur, statuta legatis quoque applicanda est. n) consanguineorum;

§. 683.

o) personarum mercede servientium veniat.

Si testator personis mercede ei servientibus et solummodo per nexum servitii designatis legatum reliquit; praesumitur, hoc eis conferendum esse, quae tempore mortis testatoris in ipsius servitio exstiterunt. Attamen in hoc, uti in reliquis casibus, praesumtio oppositis fortioribus praesumtionis rationibus tolli potest.

§. 684.

Dies, quo legata cedunt.

Legatarius de regula (§. 699.) statim post mortem testatoris sibi suisque successoribus jus ad legatum adquirit. Jus dominii vero in rem legatam nonnisi secundum praescripta de adquisitione dominii in capite quinto contenta adquiri potest.

§. 685.

Quando dies legatorum veniat.

Legatum rerum specialium ex hereditate (specierum) et jurium ad has se referentium, exiguae remunerationes famulorum famularumve, et legata pia statim; alia vero tantum post unum annum a morte testatoris exigi possunt.

§. 686.

In legato rei hereditariae specialis ad legatarium quoque pertinent usurae a tempore

mortis testatoris currentes, commoda ex legato orta, et quaelibet alia accessio. Ipse vero quoque fert omnia legato inhaerentia onera, immo etiam detrimentum, si absque reatu alterius diminuitur, aut penitus perit.

§. 687.

Si cui certa quantitas certis temporibus redeuntibus, uti singulis annis, mensibus aut simili modo praestanda legatur; legatarius jus ad totam quantitatem pro aliquo termino debitam adipiscitur, etiamsi tantum initio termini supervixerit. Attamen ipsa praestatio nonnisi elapso termino exigi potest. Primus terminus incipit cum die mortis testatoris.

§. 688.

Jus legatarii cautionem exigendi.

In omni casu, ubi creditor a debitore cautionem exigere valet, legatario quoque cautionem propter legatum exigere fas est. Quomodo inscriptio legati, ut jus reale adquiratur, fieri debeat, supra §. 437. praescriptum fuit.

§. 689.

Cui legatum destitutum cedat?

Legatum, quod legatarius accipere nequit aut nonvult, substituto cedit. (§. 652.) Si nemo substitutus est, et si totum legatum pluribus

personis indivisum aut expresse aequis partibus relictum est; portio destituta collegatariis, quemadmodum coheredibus hereditas, accrescit. Extra hos duos memoratos casus legatum destitutum in massa hereditaria manet.

§. 690.

Jus heredis, si onera hereditatem exhauriunt;

Si integra hereditas legatis exhausta est, heres praeter refusionem expensarum in utilitatem massae factarum et remunerationem operae suae convenientem nihil exigere potest. Si ipse hereditatem administrare nolit, petere debet, ut curator constituatur.

§. 691.

Si ex massa hereditaria omnibus legatariis satisfieri nequit, legatum alimentorum ante omnia reliqua praestatur, et legatario alimenta a die delatae hereditatis debentur.

§. 692.

vel plane excedunt.

Si assis hereditarius solutioni debitorum, aliarum expensarum necessariarum et praestationi omnium legatorum non sufficit; legatariis pro rata decrescit. Hinc heres, quamdiu tale periculum existit, non obligatur legata sine cautione praestare.

§. 693.

Quodsi vero legatarii legata sua jam acce-

perunt, quantitas detrahenda secundum valorem legati tempore receptionis existentem et secundum utilitatem inde perceptam determinatur. Attamen legatario etiam post acceptum legatum semper adhuc licet ad evitandam hanc detractionem legatum, aut valorem supra memoratum et commoda percepta massae hereditariae restituere; ratione meliorationum aut deteriorationum ut bonae fidei possessor tractatur.

§. 694.

Contributiones, quas testator juxta praescripta politica in adjumentum pauperum, militum invalidorum, nosocomiorum et institutionis publicae testamento reliquit, tamquam legata respiciendae non sunt; sed tamquam tributa publica ab ipsis heredibus legitimis praestanda, et non secundum principia juris privati, sed solummodo secundum constitutiones politicas sunt considerandae. De contributionibus legalibus ad instituta publica.

Caput XII.

De modis ultimam voluntatem restringendi vel tollendi.

§. 695.

Jus testatoris ultimam voluntatem suam restringendi aut mutandi.

Testator ultimae voluntatis suae dispositionem conditione, tempore, mandato, aut fine determinato restringere potest. Potest quoque testamentum suum vel codicillum mutare aut penitus tollere.

§. 696.

Modi ultimam voluntatem restringendi: 1) conditio.

Conditio est eventus, quicum jus aliquod connectitur, eaque est vel affirmativa vel negativa, prouti eventus, ad quem refertur, locum habere aut non habere debet. Suspensiva est, si ejus adimpletione jus delatum efficax redditur; resolutiva, qua existente jus delatum cessat.

§. 697.

Praescripta: a) de conditionibus non intelligibilibus;

Conditiones, quae plane intelligi nequeunt, pro non adjectis habendae sunt.

§. 698.

Dispositio, qua alicui sub conditione suspensiva impossibili jus tribuitur, invalida est, licet adimpletio conditionis subsequenti primo tempore impossibilis, et impossibilitas testatori nota reddita fuisset. Conditio impossibilis resolutiva pro non adjecta habetur. Haec quoque de conditionibus illicitis valent.

b) impossibilibus aut illicitis;

§. 699.

Si conditiones possibiles et licitae sunt; jus de eis dependens tantum exacta earum adimpletione adquiri potest; nec interest, an a casu, a voluntate instituti heredis; legatarii aut tertii dependeant.

c) conditionibus possibilibus et licitis;

§. 700.

Conditio, ut heres aut legatarius, licet majorennis, matrimonium non ineat, pro non adjecta habenda est. Nonnisi viduus vel vidua, unam aut plures proles habens, conditionem hanc adimplere debet. Conditio, ne heres aut legatarius cum determinata persona matrimonium ineat, valide imponi potest.

d) conditione matrimonium non ineundi;

§. 701.

Si conditio in ultimae voluntatis dispositione praescripta jam vivo testatore exstitit;

e) si conditio vivente testatore adimpleta fuit.

ejus adimpletio post mortem testatoris tunc tantum repetenda est, si conditio in actu aliquo heredis vel legatarii consistit, qui ab ipso repeti potest.

§. 702.

An conditio quoque in substitutos extendenda sit.

Conditio heredi aut legatario praescripta sine expressa declaratione testatoris in eorum substitutos extendenda non est.

§. 703.

Effectus conditionis possibilis suspensivae.

Ad acquisitionem rei hereditariae sub conditione suspensiva relictae requiritur, ut persona instituta adimpletioni conditionis supervivat, et tempore ejus existentiae ad succedendum habilis sit.

§. 704.

2) Tempus.

Si incertum est, an tempus, ad quod testator jus relictum limitavit, venturum sit aut non sit, haec limitatio pro conditione habetur.

§. 705.

Si tempus adjectum ejusmodi est, ut venire debeat; jus delatum, quemadmodum alia jura a nulla conditione pendentia, etiam in heredes institutae personae transfertur, et traditio tantum ad terminum statutum usque differtur.

§. 706.

Si manifestum esset, tempus in ultima voluntate statutum nunquam venturum esse; adjectio hujusmodi temporis adjectioni conditionis impossibilis aequiparatur. In eo solum casu, ubi testator verosimiliter nonnisi in computatione temporis erravit, istud tempus secundum voluntatem verisimilem testatoris determinandum erit.

§. 707.

Quamdiu jus heredis aut legatarii propter conditionem nondum adimpletam, aut propter tempus, quod nondum venit, suspensum manet; tamdiu in primo casu inter heredem legitimum et institutum, et in altero inter heredem et legatarium respectu interimisticae possessionis et ususfructus hereditatis aut legati eadem jura et obligationes, quemadmodum in fideicommissaria substitutione, obtinent.

Relatio juridica in casu conditionis aut temporis adjecti inter personam institutam, et eam, quae post ipsam succedit.

§. 708.

Hereditatem aut legatum sub conditione negativa vel resolutiva, aut ad certum tempus tantum obtinenti erga eum, cui hereditas aut legatum existente conditione, aut tempore cedit, eadem jura et obligationes sunt,

quae heres aut legatarius erga fideicommissarie substitutum habet. (§. 613.)

§. 709.

3) Mandatum. Si testator alicui hereditatem aut legatum sub mandato reliquit; istud mandatum tamquam conditio resolutiva respiciendum est, ita ut eo non adimpleto institutus jure ad rem relictam excidat. (§. 696.)

§. 710.

Quodsi mandatum exacte adimpleri non possit, saltem, in quantum possibile, ei appropinquandum est. Si et hoc fieri nequeat; oneratus tamen rem hereditariam sibi relictam redinet, nisi ex voluntate testatoris contrarium pateat. Qui se ipsemet ad adimplendum mandatum inhabilem reddidit, jure ad rem hereditariam sibi relictam destituitur.

§. 711.

Siquidem testator finem, in quem rem hereditariam destinaverit, expressit, sed instituto tamquam obligationem non injunxit, institutus cogi nequit ad rem sibi relictam in hunc finem impendendam.

§. 712.

Dispositio, qua testator heredi suo actum impossibilem vel illicitum imponit, ad-

dito, ut si jusso non pareret, tertio legatum solvat, invalida est.

§. 713.

Testamentum prius per posterius validum non solum respectu institutionis heredis, sed etiam respectu reliquarum dispositionum tollitur; nisi testator in posteriori diserte declaret, ut prius totum vel pro parte valeat. Praescriptum hoc etiam tunc valet, si in testamento posteriori heres tantum in partem hereditatis instituitur. Pars residua non heredi in priori testamento instituto, sed legitimo cedit.

De tollendis ultimae voluntatis dispositionibus, et quidem: 1) novam condendo: vel testamentum;

§. 714.

Per codicillum posteriorem, cum plures eorum simul consistere possint; legata aut codicilli priores eatenus tantum tolluntur, quatenus novae dispositioni repugnant.

vel codicillum;

§. 715.

Si dijudicari nequeat, utrum testamentum aut uter codicillus posterior sit; ambo, quatenus simul subsistere possunt; valent, et praescripta in capite de condominio statuta applicanda sunt.

§. 716.

Clausula testamento vel codicillo adjec-

licet prior di-

spositio pro immutabili declarata fuerit. ta: ut quaecunque posterior dispositio in genere, aut certo charactere non insignita, nulla et invalida sit, testatori quidem facultatem non adimit ultimam suam voluntatem mutandi; verum in posteriori dispositione, dicta generali vel speciali clausula expresse non sublata, non posterior, sed prior dispositio pro valida habetur.

§. 717.

2) revocatione. Si testator dispositionem suam tollere vult novam non condendo; eam expresse aut oraliter, aut scripto revocet, aut instrumentum deleat oportet.

§. 718.

Revocatio tantum in tali statu valide fieri potest, in quo aliquis ad ultimam suam voluntatem declarandam habilis est. Prodigus judicialiter talis declaratus ultimam suam voluntatem valide revocare potest.

§. 719.

a) expressa; Revocatio oralis ultimae voluntatis judicialiter aut extrajudicialiter conditae tot et tales testes requirit, quam ad validitatem testamenti nuncupativi necessarii sunt; scripta vero a testatore propria manu scriptam et subscriptam, aut saltem ab ipso et testibus ad

testamentum scriptum requisitis subsignatam declarationem supponit.

§. 720.

Dispositio testatoris, qua heredi aut legatario sub poena amittendi alias promissi commodi prohibet ultimae voluntatis dispositionem impugnare, pro eo casu, ubi tantum genuinitas aut sensus dispositionis impugnatur, nunquam efficax esto.

§. 721.

Qui in testamento aut codicillo suo subscriptionem perscindit; linea obducit; aut totum argumentum delet, dispositionem suam nullam reddit. Si ex pluribus exemplaribus concordantibus unum tantum deletum fuit; inde revocationem totius declarationis factam esse induci nequit. b) tacita;

§. 722.

Si dictae corruptiones instrumenti casu tantum obtigerint; aut si instrumentum perditum sit; ultimae voluntatis dispositio hac de causa effectu non destituitur; modo casus per modos probandi in codice judiciario determinatos, et argumentum instrumenti ea ratione probetur, qua oralis ultimae voluntatis dispositio probari debet.

§. 723.

Si testator posteriorem dispositionem delevit, priori scripta dispositione intacta relicta, haec posterior iterum convalescit. Dispositio prior nuncupativa hoc modo non reviviscit.

§. 724.

aut c) praesumta.

Legatum pro revocato habetur, si testator creditum legatum repetiit et recepit; si rem alicui legatam alienavit, nec amplius recuperavit; aut si eam tali modo in aliam transformavit, ut res priorem suam formam et nomen suum pristinum amittat.

§. 725.

Si vero debitor proprio motu creditum restituit, si alienatio rei legatae ad dispositionem judicialem facta; aut res invito testatore in aliam transformata est; legatum subsistit.

§. 726.

3) renunciatione heredum.

Si nec heres nec substitutus hereditatem acceptare vult aut potest; jus succedendi ad legitimos heredes devolvitur. Hi vero reliquas dispositiones testatoris adimplere tenentur. His quoque hereditatem repudiantibus legatarii pro rata tamquam heredes tractantur.

Caput XIII.

De successione ab intestato.

§. 727.

Si defunctus absque valida ultimae voluntatis declaratione decessit; si in ea de integro suo patrimonio non disposuit; si personis, quibus vi legis portionem hereditatis conferre debuisset, portionem debitam non reliquit; aut si instituti heredes hereditatem acceptare nolunt aut nequeunt, successioni ex lege penitus aut pro parte locus est. Casus successionis ab intestato.

§. 728.

Deficiente ultimae voluntatis dispositione integra massa hereditaria defuncti ad legitimos heredes devolvitur. Exstante vero valida ultima voluntate ipsis pars nemini collata cedit.

§. 729.

Persona, cui testator vi legum partem hereditatis relinquere obligatus fuit, per ultimae voluntatis dispositionem laesa ad prae- Praescriptum pro casu laesae legitimae.

scriptum legis provocare potest, et secundum normam capitis sequentis portionem sibi competentem judicialiter exigere.

§. 730.

Heredes legitimi: 1) Consanguinei ex toro legitimo.

Heredes legitimi imprimis sunt illi, qui cum defuncto ex toro legitimo per lineam proximam cognati sunt. Lineae cognationis sequenti modo determinantur.

§. 731.

Lineae eorum succedendi capaces.

Ad primam lineam illi pertinent, qui ex defuncto, veluti stirpe sua, descendunt, nimirum liberi ipsius eorumque descendentes.

Ad secundam lineam pertinent defuncti pater et mater, cum illis, qui cum defuncto ex patre et matre descendunt, id est, ejus fratres sororesve eorumque descendentes.

Ad tertiam lineam pertinent avi aviaeque, cum fratribus sororibusve parentum eorumque descendentibus.

Ad quartam lineam pertinent proavi proaviaeque defuncti, cum eorum descendentibus.

Ad quintam lineam pertinent abavi et abaviae defuncti, cum eorum descendentibus.

Ad sextam lineam pertinent atavi et ataviae defuncti, cum eorum descendentibus.

§. 732.

Si defuncto liberi legitimi primi gradus sunt, ipsis integra hereditas cedit; sine discrimine, an masculini vel foeminini sexus; an vivente testatore aut post ipsius mortem nati sint. Plures proles hereditatem secundum numerum suum in aequales partes dividunt. Nepotes ex prolibus adhuc viventibus, et pronepotes ex nepotibus adhuc viventibus, jure succedendi non gaudent.

1. Linea: liberi;

§. 733.

Si proles defuncti ante ipsum mortua est, et si ex illa unus aut plures nepotes exstant; portio, quae defunctae proli obtigisset, nepoti derelicto tota; aut pluribus nepotibus aequis partibus cedit. Si ex his nepotibus quoque unus mortuus pronepotes reliquit; portio defuncti nepotis eodem modo inter pronepotes distribuitur. Si ex defuncto remotiores adhuc exstant descendentes, dispertitio pro rata secundum praescriptum praecedens instituitur.

§. 734.

Eo modo hereditas non solum tunc distribuitur, si nepotes ex prolibus mortuis cum prolibus adhuc viventibus, aut remotiores descendentes defuncti cum propioribus con-

currunt; sed etiam tunc, si hereditas tantummodo inter nepotes diversarum prolium; aut inter pronepotes ex diversis nepotibus distribuenda est. Nepotes ergo a singulis prolibus derelicti, et pronepotes ex singulis nepotibus, sine discrimine, quo numero sint, nunquam plus aut minus obtinere possunt, quam proles praemortua, aut nepos defunctus obtinuisset, si superstites mansissent.

§. 735.

2. Linea: parentes eorumque descendentes;

Nullis descendentibus defuncti exstantibus; hereditas ad eos devolvitur, qui cum ipso in linea secunda conjuncti sunt, nimirum: ad ejus parentes eorumque descendentes. Utroque parente adhuc vivente hereditas integra ipsis aequis partibus competit. Alterutro vero eorum mortuo, ejus liberi vel descendentes in jus ejus succedunt, et dimidia pars, quae defuncto parenti competiisset, inter illos secundum ea principia distribuitur, quae §§. 732 — 734. de divisione hereditatis inter liberos remotioresque descendentes testatoris statuta sunt.

§. 736.

Utroque parente defuncto, dimidia pars hereditatis, quae patri obtigisset, inter pro-

les ipsius derelictas earumque descendentes; altera vero dimidia, quae matri competiisset, inter ipsius proles earumque descendentes secundum §§. 732—734. distribuitur. Nullis ex his parentibus aliis liberis quam ex communi toro procreatis eorumque descendentibus exstantibus, hi utramque partem dimidiam aequis partibus inter se dividunt. Quodsi vero praeterea liberi dentur a patre vel a matre, aut ab illo et hac ex alio matrimonio procreati; proles a patre et matre communi toro procreatae earumve descendentes tam ex paterna, quam ex materna medietate portionem sibi competentem, cum fratribus sororibusve unilateralibus aequalem, nanciscuntur.

§. 737.

Siqua pars parentum defunctorum intestati nec proles, nec descendentes reliquit, integra hereditas alteri viventi adhuc parti parentum cedit. Nec hac amplius superstite, integra hereditas inter ipsius liberos et descendentes secundum principia jam memorata distribuitur.

§. 738.

Si parentes testatoris sine descendentibus decesserint, hereditas ad tertiam lineam de- 3. Linea: avi et aviae co-

rumque descendentes. volvitur, nimirum: ad defuncti avos et avias eorumque descendentes. Hereditas tum in duas aequales partes dividitur; altera dimidia competit parentibus patris eorumque descendentibus; altera parentibus matris et eorum descendentibus.

§. 739.

Dimidia utraque inter avum aviamque lateris utriusque superstites aequis partibus dividitur. Si avus aviave, aut ambo unius alteriusve lateris decesserint; dimidia pars ad latus istud devoluta inter liberos et descendentes avi hujus aviaeque secundum ea principia dividitur; secundum quae in linea secunda integra hereditas inter liberos et descendentes parentum testatoris dividenda est. (§§. 735—737.)

§. 740.

Defuncto avo aviaque ex latere paterno vel materno, et nec ex avo, nec ex avia alterutrius lateris descendentibus exstantibus, tota hereditas cedit avo aviaeque ex altero latere adhuc superstiti; aut, his mortuis, eorum liberis et descendentibus.

§. 741.

4.) Linea: Penitus exstincta tertia linea successio

legitima ad quartam devolvitur. Ad hanc lineam pertinent parentes avi paterni eorumque descendentes; parentes aviae paternae cum eorum descendentibus; parentes avi materni cum eorum posteritate; et parentes aviae maternae cum eorum descendentibus.

proavi proaviaeque, et eorum descendentes.

§. 742.

Exstantibus consanguineis ex omnibus his quatuor stirpibus, hereditas inter eas in quatuor aequales partes dividitur, et quaelibet pars iterum inter personas ad quamvis stirpem pertinentes secundum eadem principia subdividitur, secundum quae inter parentes testatoris eorumque descendentes tota hereditas legitime distribuitur.

§. 743.

Exstincta una quatuor ad hanc lineam pertinentium stirpium, portio ejus non omnibus reliquis tribus adcrescit; sed, si stirps exstincta e latere paterno est, alteri stirpi lateris paterni dimidia pars hereditatis cedit; et si exstincta stirps e latere materno est, alteri stirpi lateris materni aeque dimidia pars hereditatis cedit. Exstincta vero utraque stirpe lateris paterni et materni, tota hereditas in duas stirpes alterius partis, et exstincta quoque

ex his una, in reliquam adhuc superstitem stirpem hujus lateris devolvitur.

§. 744.

5. Linea: abavi abaviaeque, et eorum descendentes.

Nullo e linea quarta consanguineo superstite, hereditas in quintam lineam devolvitur, nempe ad defuncti abavos abaviasque et eorum earumque descendentes. Ad hanc lineam pertinet stirps avorum paternorum avi paterni; stirps avorum maternorum avi paterni; stirps avorum paternorum aviae paternae; stirps avorum maternorum aviae paternae; stirps avorum paternorum avi materni; stirps avorum maternorum avi materni; stirps avorum paternorum aviae maternae; et stirps avorum maternorum aviae maternae.

§. 745.

Quaelibet harum octo stirpium cum reliquis aequali jure successionis gaudet, et existentibus ex qualibet stirpe consanguineis hereditas in octo aequales partes inter ipsos dividitur, et quaevis pars inter personas ad hanc stirpem pertinentes juxta ordinem in prioribus lineis praescriptum ulterius subdividitur.

§. 746.

Exstincta una harum octo stirpium, id, quod avis paternis avi aut aviae defuncti ob-

tigisset, stirpi avorum maternorum ejusdem avi aut aviae defuncti cedit; et quod avis maternis avi aviaeve defuncti competiisset, cedit stirpi avorum paternorum ejusdem avi aut aviae defuncti.

§. 747.

Utraque stirpe alicujus avi aut aviae exstincta, portiones, ad latus paternum defuncti spectantes, reliquis stirpibus lateris paterni remanent; et portiones, ad latus maternum defuncti spectantes, reliquis stirpibus lateris materni. Nemine vero consanguineorum ex omnibus quatuor stirpibus lateris paterni; aut ex quatuor stirpibus lateris materni amplius superstite, stirpes ex altero latere adhuc exstantes integram hereditatem nanciscuntur.

§. 748.

6. Linea: atavi ataviaeque et eorum descendentes.

Exstincta denique penitus linea quinta, successio legitima ad sextam pervenit, nimirum ad defuncti atavos ataviasquae et eorum descendentes. Ad hanc lineam pertinent sexdecim stirpes, utpote: stirpes parentum eorum, ex quibus ascendentes lineae quintae progeniti sunt. Exstantibus ex qualibet harum stirpium consanguineis, hereditas in sexdecim aequales portiones pro numero stirpium

dividitur, et quaelibet talis portio inter consanguineos, ad hanc stirpem pertinentes, juxta principia jam indicata ulterius subdividitur.

§. 749.

Ex quibusdam harum stirpium nullis amplius consanguineis exstantibus, portiones earum in eas stirpes devolvuntur, quae secundum praescripta §§. 743 et 746 cum stirpibus exstinctis in proximo nexu existunt. Ubi nonnisi ex una stirpe consanguinei supersunt, his tota hereditas competit.

§. 750.

Si quis defuncto ex utroque latere consanguineus est; ex utroque latere eo jure successionis gaudet, quod ipsi tamquam consanguineo ex unoquoque latere singulatim competit. (§. 736).

§. 751.

Remotiores consanguinei excluduntur.

Ad has sex lineas cognationis legitimae jus successionis respectu patrimonii libere ad heredes transferendi restringitur. Remotiores defuncti consanguinei jure successionis ab intestato excluduntur.

§. 752.

II). Jus succedendi ab intestato pro-

Proles extra matrimonium natae et per matrimonium subsequens parentum suorum

legitimatae; nec non illae, quibus non obstante impedimento tempore matrimonii a parentibus earum initi dispositio §. 160 favet, gaudent sub limitationibus in eodem hoc §. 160 et §. 161 contentis, etiam respectu successionis legitimae, juribus prolium legitimarum. lium legitimatarum,

§. 753.

Proli illegitimae, per rescriptum legislatoris legitimatae, in paternam hereditatem tunc tantum jus succedendi ab intestato competit, si patre supplicante, ut iisdem juribus cum prolibus legitimis in patrimonio libere ad heredes transferendo gaudeat, legitimata fuit.

§. 754.

III. Prolium illegitimarum.

Respectu matris proles illegitimae aequali jure succedendi ab intestato in patrimonio, quod libere ad heredes transferri potest, cum prolibus legitimis gaudent. In hereditatem patris et consanguineorum paternorum, deinde parentum, avi aviaeque et reliquorum consanguineorum matris, prolibus illegitimis jus succedendi ab intestato non competit.

§. 755.

IV. Prolium adoptivarum.

Prolibus adoptivis in successione ab intestato quoad adoptantis patrimonium, quod

libere ad heredes transferri potest, aequale jus cum prolibus legitimis competit. Respectu consanguineorum ejus aut conjugis, sine cujus consensu adoptio facta fuit, jus succedendi ipsis nullum est. In patrimonio vero earum parentum et consanguineorum naturalium ipsis jus succedendi ex lege salvum manet. (§. 183.)

§. 756.

V. Jus succedendi parentum respectu prolium, quarum in §§. 752—754 mentio facta est.

Parentibus ad successionem prolium suarum legitimatarum, aut speciali favore legis gaudentium, idem jus reciprocum competit, quod liberis respectu hereditatis parentum eorum tributum fuit (§§. 752—754). In patrimonio prolis illegitimae non legitimatae tantum matri successio competit; pater, omnes avi aviaeque et alii consanguinei ab ea exclusi sunt. Nec parentes adoptivi ex lege jure successionis in prolis adoptivae hereditatem gaudent, haec potius secundum ordinem successionis legitimae ad illius consanguineos devolvitur.

§. 757.

VI. Jus conjugum ex lege succedendi.

Conjugi superstiti intestati, nulla ratione habita, an proprium patrimonium habeat necne, ubi tres pluresve proles exstant, aequa-

lis portio hereditaria cum qualibet prole; paucioribus vero quam tribus prolibus exstantibus, pars quarta hereditatis competit, et quidem jure ususfructus ad dies vitae, proprietate talis portionis prolibus manente.

§. 758.

Quod si proles nulla, sed alius legitimus heres exstiterit, conjux superstes dominium illimitatum in quartam partem hereditatis obtinet. Sed tam in hoc, quam in casu §. 757. notato, quod vi pactorum dotalium, pacti successorii, aut ultimae voluntatis conjugi superstiti ex patrimonio alterius cedit, in portionem hereditariam imputatur.

§. 759.

Exstante vero nemine, nec ex consanguineis in sex supra dictis lineis, nec ex §§. 752 — 756. vocatis heredibus, conjugi integra hereditas cedit. Attamen conjux, cujus culpa separatio causata est, nec in alterius conjugis hereditatem integram, neque in hujus hereditatis portionem jus aliquod habet.

§. 760.

Nec conjuge amplius superstite, hereditas tamquam res heredibus destituta, aut a fisco, aut ab illis personis capitur, quae vi Hereditas caduca.

constitutionum politicarum jure bona caduca capiendi gaudent.

§. 761.

Exceptiones a generali ordine succedendi.

Exceptiones ab ordine succedendi legitimo in hoc capite determinato, quae respectu bonorum rusticorum, et hereditatis personarum ecclesiasticarum locum habent, in legibus politicis continentur.

Caput XIV.

De portione legitima et collatione in portionem legitimam aut hereditariam.

§. 762.

Quibus personis tamquam heredibus necessariis legitima competat.

Personae, quibus testator in ultimae voluntatis dispositione portionem hereditatis relinquere obligatur, sunt ejus liberi, et his deficientibus ejus parentes.

§. 763.

Nomine liberorum secundum regulam generalem (§. 42.) etiam nepotes et pronepotes; et nomine parentum omnes ascendentes comprehenduntur. Hic inter sexum masculinum et foemininum, inter nativitatem legitimam et illegitimam nullum discrimen locum habet, siquidem ad has personas jus et ordo successionis ab intestato veniret.

§. 764.

Portio hereditaria, quam istae personae exigendi jus habent, legitima; et illi, quibus competit, heredes necessarii dicuntur.

§. 765.

In qua quantitate;

In portionem legitimam leges cuilibet proli assignant dimidiam partem ejus, quod ipsis in successione ab intestato obtigisset.

§. 766.

In linea ascendenti cuilibet heredi necessario tamquam legitima competit tertia pars ejus, quod ab intestato obtinuisset.

§. 767.

et sub quibus limitationibus.

Qui juri hereditario renunciavit; qui secundum praescripta in capite octavo contenta jure successionis privatur, aut a testatore juste exheredatus est; legitimam poscere nequit, et in determinatione ejus ita respicitur, ac si plane non existeret.

§. 768.

Requisita justae exheredationis.

Proles exheredari potest:

1) si a religione christiana desciscit;
2) si testatori egestate aut alia gravi calamitate presso nullum tulit auxilium;
3) si criminis causa ad carceres perpetuos vel viginti annorum condemnata fuit;
4) si vitam honestati publicae contrariam perseveranter gerit.

§. 769.

Ex iisdem rationibus etiam parentes a

legitima excludi possunt, et speciatim etiam in eo casu, quando educationem prolis penitus neglexerunt.

§. 770.

In genere heredi necessario propter tales quoque actus, qui heredem vi §§. 540—542. juris succedendi indignum reddunt, per ultimae voluntatis dispositionem legitima adimi potest.

§. 771.

Causam exheredationis semper, sine discrimine, an a testatore expressa sit vel non, ab herede probari et in verbis ac sensu legis fundatam esse oportet.

§. 772.

Exheredatio tantum per revocationem expressam in forma legitima declaratam tollitur.

§. 773.

Si respectu heredis necessarii debitis admodum onerati aut prodigi cum fundamento timendum sit, ne legitima ipsi competens penitus, aut maxima pro parte prolibus ejus adimatur; heres necessarius a testatore exheredari potest, ea tamen sub conditione, ut legitima liberis exheredati conferatur.

§. 774.

Quomodo legitima relinquenda.

Legitima sub specie portionis hereditariae aut legati, etiam sine expressa denominatione illius, relinqui potest. Ast heredibus necessariis penitus libera relinquenda est. Quaelibet conditio aut oneratio eam restringens est invalida. Si heredibus necessariis major pars hereditatis relinquitur, ejusmodi restrictio ad eam tantum partem, quae legitimam excedit, referri potest.

§. 775.

Juris remedia heredum necessariorum: a) in casu injustae exheredationis aut diminutionis portionis legitimae;

Heres necessarius sine requisitis in §§. 768 — 773. praescriptis exheredatus, legitimam sibi competentem plenam; et si ipsi minus, quam portio legitima pura efficit, relictum est, id quod deficit, exigere potest.

§. 776.

b) in casu praeteritionis.

Si ex pluribus prolibus, quarum existentia testatori nota fuit, una penitus silentio praeterita est; pariter nihil nisi legitimam exigere ipsi fas est.

§. 777.

Si vero ex circumstantiis probari potest, praeteritionem unius ex pluribus prolibus inde tantum oriri, quia testatori existentia ejus ignota fuit, proles praeterita sola legiti-

ma contenta esse non tenetur; sed portionem hereditatis aequalem portioni heredis necessarii, qui minimum accipit; quando vero unicus adhuc reliquus heres necessarius institutus fuit, aut omnes reliqui ad aequales portiones vocati sunt, aequalem cum ipsis portionem hereditatis petere potest.

§. 778.

Si testator unicum, quem habet, heredem necessarium ex errore supra dicto silentio praetereat; aut si ei proles nullas habenti primo post declarationem ultimae voluntatis heres necessarius obtingat, cui prospectum non est; nonnisi legata ad instituta publica, ad remunerationem servitiorum praestitorum, aut ad causas pias destinata in quantitate, quartam partem purae hereditatis non excedente, pro rata praestantur; omnes reliquae ultimae voluntatis dispositiones vero effectu destituuntur. Attamen, herede necessario ante testatorem mortuo, iterum vim suam recuperant.

§. 779.

Si proles ante testatorem mortua descendentes reliquit, hi silentio praeteriti respectu juris successionis in locum prolis veniunt.

§. 780.

Descendentes prolis ultimae voluntatis dispositione expresse exheredatae, sed ante testatorem defunctae, jure tantum gaudent legitimam exigendi.

§. 781.

Heres necessarius ex linea ascendenti silentio praeteritus nunquam plus quam legitimam ex massa hereditaria exigendi jus habet.

§. 782.

Si heres institutus probare potest, heredem necessarium silentio praeteritum se alicujus causarum exheredationis in §§. 768 — 770. recensitarum reum reddidisse; praeteritio tamquam tacita justa exheredatio respicitur.

§. 783.

Quis ad portionem hereditariam aut legitimam contribuere debeat.

In omni casu, ubi heredi necessario portio hereditaria aut legitima competens plane non, aut saltem non integra relicta fuit, tam heredes instituti, quam legatarii pro rata ad plenam praestationem legitimae contribuere tenentur.

§. 784.

Modus legitimam determinandi

Ut legitima recte definiatur, omnes ad massam hereditariam pertinentes res, mobi-

les et immobiles, omnia jura et credita, quae testator in successores suos libere transmittere poterat, immo quidquid heres aut legatarius massae hereditariae debet, exacte describuntur et rite aestimantur. Heredibus necessariis fas est, actui detaxationis assistere, et quod observandum putant, proferre. Venditionem rerum hereditariarum in eum finem, ut verus valor earum innotescat, exigere nequeunt.

et computandi.

§. 785.

Debita et alia onera, quae jam vivente testatore patrimonio inhaerebant, a massa hereditaria subtrahuntur.

§. 786.

Portio legitima nullo respectu habito legatorum et onerum ex ultima voluntate orientium determinatur. Ad traditionem usque revera subsequentem hereditas ratione lucri et detrimentorum tamquam res heredi instituto et necessario pro rata communis respicitur.

§. 787.

Collatio in portionem legitimam.

Omne id, quod heredes necessarii per legata aut alias dispositiones testatoris reapse

e massa hereditaria obtinent, in eorum portionem legitimam imputatur.

§. 788.

Quod testator vitae tempore filiae suae aut nepoti in dotem; filio suo aut nepoti ad instructionem rei familiaris, aut immediate ad adeundum munus aliquod, vel qualemcunque quaestum dedit; aut in solutionem debitorum prolis majorennis impendit, in legitimam confertur.

§. 789.

Ratione legitimae parentum collatio quantitatis in antecessum datae eatenus locum habet, quatenus neque ad praestandum legitimum auxilium (§. 154.) nec ex mera liberalitate tributa fuerit.

§. 790.

vel in portionem hereditariam in casu successionis legitimae.

Collatio in successione liberorum ex ultima voluntate tunc tantum locum habet, quando a testatore expresse mandatur. E contra proles etiam in successione legitima id, quod a testatore tempore vitae ejus in fines supra (§. 788.) dictos obtinuit, sibi imputari sinere obligatur. Nepoti non solum id, quod ipse immediate, sed etiam id, quod ejus parentes, in quorum locum succedit, tali ratione acce-

perunt, in portionem hereditariam imputatur.

§. 791.

Quod parentes extra dictos casus proli impertiti sunt, donatum esse censetur, nec imputatur, nisi parentes restitutionem sibi expresse stipulati sint.

§. 792.

Parentes possunt proli collationem etiam in successione legitima expresse remittere. Ast si educatio necessaria et collocatio reliquarum prolium nec ex ipsarum proprio, nec ex patrimonio parentum procurari possit; proles id, quod in fines §. 788. dictos in antecessum accepit, quatenus ad educationem et collocationem fratrum et sororum necessarium est, conferre obligatur.

§. 793.

Collatio recepti in portionem hereditariam ita efficitur, ut quaelibet proles eamdem quantitatem ante divisionem capiat. Si hereditas non sufficit; proles quidem, quae jam prius quidquam accepit, partem hereditatis exigere nequit, sed nec ad ullam restitutionem obligari potest.

§. 794.

In qualibet collatione, si obtentum non pecunia parata, sed aliis rebus mobilibus aut immobilibus constiterit, valor rerum immobilium, quem tempore acceptionis; valor mobilium vero, quem tempore delatae hereditatis habuerunt, accipitur.

§. 795.

Jus heredis necessarii ad alimenta necessaria,

Heredi necessario, licet portione sua legitima juste privato, tamen alimenta necessaria semper tribuenda sunt.

§. 796.

et conjugis ad sustentationem convenientem.

Conjux quidem jure ad legitimam destituitur; si vero pro casu, quo superstes maneret, sustentatio conventa non fuit, quamdiu ad secunda vota non transit, deficiens sustentatio conveniens ei competit. Conjux culpa sua ab altero separatus, hanc sustentationem petere nequit.

Caput XV.

De capienda possessione hereditatis.

§. 797.

Nemini fas est possessionem hereditatis propria auctoritate capere. Jus succedendi coram judicio demonstrandum et ab eo addictio hereditatis, hoc est, traditio in justam possessionem impetranda est.

Conditiones ad possessionem hereditatis justo modo adquirendam.

§. 798.

Quatenus judicio post mortem alicujus ex officio procedendum sit, qui termini et quae cautelae in hoc pertractationis hereditatis actu observandae sint, specialia de modo procedendi judiciali praescripta determinant. Hoc capite praescribitur, quid heredi, aut ex alio titulo jus ad hereditatem habenti, faciendum sit, ad adquirendam possessionem ejus, quod ipsi competit.

§. 799.

Demonstratio tituli juris: declaratio heredis.

Qui hereditatem in posessionem suam redigere vult, titulum juris, an ipsi ex ultimae voluntatis dispositione; ex valido pacto successorio; vel ex lege competat, demonstrare, et expresse declarare tenetur, quod hereditatem acceptet.

§. 800.

In aditione hereditatis aut heredis declaratione simul exprimendum est, an pure, vel salvo juris beneficio inventarii fiat.

§. 801.

Effectus purae;

Pura heredis declaratio efficit, ut heres omnibus creditoribus testatoris respectu debitorum, et omnibus legatariis respectu legatorum teneatur, etiamsi hereditas non sufficiat.

§. 802.

et conditionatae heredis declarationis.

Si hereditas reservato beneficio inventarii aditur; a judicio statim inventarium sumtibus massae hereditariae conficiendum est. Hujusmodi heres creditoribus et legatariis eatenus tantum obligatur, quatenus hereditas satisfaciendis eorum et propriis quoque heredis, ei praeter jus hereditarium competentibus juribus par est.

§. 803.

Testator nec heredi reservationem hujus beneficii, nec confectionem inventarii prohibere potest. Immo ipsa renunciatio in pacto successorio a conjugibus celebrato facta inefficax est.

Jus hereditatem conditionate, aut pure adeundi, vel eam repudiandi.

§. 804.

Confectio inventarii etiam peti potest ab eo, cui legitima competit.

§. 805.

Qui de juribus suis ipse disponere potest, ei jus est hereditatem pure, aut dicto juris beneficio reservato adeundi vel etiam repudiandi. Tutoribus et curatoribus praescripta suo loco exposita observanda sunt. (§. 233.)

§. 806.

Heres judicialem suam declarationem de adeunda aut repudianda hereditate revocare amplius nequit, nec etiam puram mutare reservato sibi juris beneficio inventarii.

§. 807.

Si ex pluribus coheredibus alii pure, alii vero, aut tantum unus eorum, reservato dicto juris beneficio se heredes declarant; inventarium faciendum est, et declaratio de ad-

eunda hereditate, ad hanc reservationem restricta, in pertractatione hereditatis pro basi accipienda. In hoc casu, quemadmodum in omnibus aliis, ubi inventarium faciendum est, etiam ille, qui pure se heredem declaravit, quamdiu ipsi hereditas nondum tradita est, juris beneficio inventarii gaudet.

§. 808.

Si heres scriptus est, cui etiam ab intestato jus succedendi in totam hereditatem vel in partem ejus competiisset; ipsi fas non est provocando ad legitimam successionem declarationem ultimae voluntatis eludere; sed hereditatem ex ultima voluntate adire, vel ei plane renunciare debet. Personae vero, quibus legitima competit, hereditatem, reservata sibi parte legitima, repudiare valent.

§. 809.

Translatio juris hereditarii.

Herede, prius quam hereditatem sibi delatam adiverit vel repudiaverit, mortuo, ejus heredes, nisi a testatore exclusi aut alii substituti sint, in jus hereditatem adeundi aut repudiandi succedunt. (§. 537.)

§. 810.

Dispositiones

Si heres adeundo hereditatem jus suum

succedendi sufficienter probat, administratio et ususfructus hereditatis ipsi concedi debent. ante addictionem hereditatis faciendae: a) administratio:

§. 811.

Securitati et satisfactioni creditorum testatoris a judicio non magis prospicitur, quam ipsi petunt; non tamen obligantur heredis declarationem exspectare; sed actiones suas contra massam instituere possunt et exigere, ut ad defensionem ejus curator constituatur, contra quem jura sua demonstrent. b) securitas et satisfactio creditoribus praestanda;

§. 812.

Si quis creditor testatoris, legatarius, aut heres necessarius timeat, ne commixtione hereditatis cum patrimonio heredis ipsius jus periculo exponatur; ei fas est ante addictionem hereditatis exigere, ut hereditas a patrimonio heredis separetur, a judicio custodiatur, aut a curatore administretur, ejus jus in eam praenotetur et ipsi satisfactio praestetur. In quali casu vero illi heres, licet pure se heredem declaraverit, patrimonio suo proprio non amplius tenetur. c) separatio hereditatis a patrimonio heredis;

§. 813.

Heredibus et constituto hereditatis cura- d) convo-

catio creditorum hereditatis.

tori liberum est, status aeris alieni cognoscendi causa petere publicationem edicti, quo omnes creditores ad terminum circumstantiis convenientem convocentur, ut praetensiones suas insinuent et demonstrent, et ad terminum hunc elapsum usque satisfactionem creditorum suspendere.

§. 814.

Effectus convocationis;

Effectus hujus convocationis judicialis est, ut creditores, qui se intra terminum statutum non insinuarunt, contra hereditatem, si solutione obligationum insinuatarum exhausta est, nullam amplius actionem habeant, nisi quatenus jure pignoris gaudent.

§. 815.

aut ejus omissionis;

Si heres concessam sibi cautelam convocationis judicialis omittit, aut si statim quibusdam creditoribus se insinuantibus satisfacit, nullo habito respectu jurium reliquorum, et si postea quibusdam creditoribus ob hereditatem non sufficientem satisfieri nequit; heres ipsis, etiamsi conditionate se heredem declaraverit, cum integro suo patrimonio obstrictus est, quatenus satisfactionem suam accepissent, si hereditas secundum ordinem

legitimum in satisfactionem creditorum impensa fuisset.

§. 816.

Si testator executorem ultimae suae voluntatis nominavit, ab ejus arbitrio pendet, an munus hoc suscipere velit vel non. Postquam vero illud suscepit; ipsius officium est, ut vel tamquam mandatarius dispositiones testatoris exequatur, aut heredem morosum ad executionem earum adigat.

e) demonstratio adimpletae ultimae voluntatis, facienda aut ab executore testamenti;

§. 817.

Executore ultimae voluntatis haud nominato, aut nominato negotium non suscipiente; heredi immediate incumbit voluntati testatoris, quantum fieri potest, satisfacere, aut de ea adimplenda cautionem praestare, et id factum esse judicio demonstrare. Respectu legatariorum determinatorum ipsi tantum probandum est, illos de legatis ipsis delatis certiores redditos fuisse. (§. 688.)

aut ab ipso herede.

§. 818.

Quae tributa heredi, antequam possessionem hereditatis adquirat, praestanda, et quid in eo casu, ubi defunctus aerario publico ad rationes reddendas obligatus fuit, ipsi hoc

sub respectu demonstrandum sit, constitutiones politicae specialiter determinant.

§. 819.

Quando hereditas addicenda sit.

Quamprimum facta declaratione de adeunda hereditate judicio de vero herede constat, isque obligationes suas adimplevit, hereditas ei addicitur et pertractatio terminatur. De reliquo heredi ad translationem dominii rerum immobilium efficiendam praescriptum §. 436. observandum est.

§. 820.

Correalitas coheredum.

Plures heredes, qui hereditatem communem sine juris beneficio inventarii adiverunt, omnibus creditoribus hereditatis et legatariis, etiam post addictionem, omnes pro uno et unus pro omnibus vel in solidum tenentur. Inter se vero pro rata suarum portionum, quas ex hereditate accipiunt, contribuere obligantur.

§. 821.

Coheredes, juris beneficio inventarii usi, ante addictionem creditoribus hereditatis et legatariis secundum §. 550. obligantur. Post subsecutam addictionem quilibet singulus etiam de illis oneribus, quae assem heredita-

rium non excedunt, tantum pro rata suae portionis obligatur.

§. 822.

Creditores heredis possunt quidem rem hereditariam ipsi delatam, etiam antequam ei tradita est, interdicto, pignoris captione aut praenotatione condicere. Talis cautio vero non alio modo quam cum hac reservatione concedi potest, ut praetensionibus in pertractatione hereditatis occurrentibus nullum praejudicium adferat, et tantum a tempore obtentae addictionis efficax sit.

Media, quibus creditores heredes securitati suae consulere possunt.

§. 823.

Etiam post obtentam addictionem ille, qui aequale aut melius jus succedendi habere contendit, contra possessorem hereditatis agere potest; ut iste hereditatem actori restituat, aut cum illo dividat. Propter persequendum dominium singularum rerum ad hereditatem pertinentium non petitio hereditatis, sed rei vindicatio instituenda est.

Petitiones hereditatis.

§. 824.

Si conventus ad hereditatem integram vel pro parte cedendam condemnatur: jura respectu restitutionis fructuum a possessore

Effectus earum.

perceptorum; aut refusionis impensarum ab ipso in hereditatem factarum secundum ea principia dijudicanda sunt, quae respectu bonae aut malae fidei possessoris in capite de possessione in genere statuuntur. Tertius bonae fidei possessor de rebus ex hereditate in intermedio tempore adquisitis nemini responsabilis est.

CAPUT XVI.

De condominio et communione aliorum jurium realium.

§. 825.

Origo communionis

Ubi dominium ejusdem rei, aut jus unum idemque pluribus personis indivisim competit, communio existit. Fundamentum suum habet communio in eventu casuali; lege; ultimae voluntatis declaratione; aut pacto.

§. 826.

Pro diversitate fontium, unde communio oritur, jura et obligationes consortium propiorem suam determinationem obtinent. Specialia praescripta de communione bonorum e pacto oriente in capite vigesimo septimo continentur.

§. 827.

Portionem rei communis sibi asserenti incumbit jus suum, si reliqui consortes contradicunt, probare.

§. 828.

Jura consortibus communia.

Quamdiu omnes consortes consentiunt, unam tantum personam repraesentant, et jure gaudent de re communi pro arbitrio disponendi. Si dissentiunt, nemo consortium in re communi mutationem facere potest, qua de parte alterius disponeretur.

§. 829.

Jura consortis in suam portionem.

Quilibet consors plenus est dominus suae portionis. In quantum jura suorum consortium non laedit, suam portionem ipsam aut commoda inde percepta arbitrarie et independenter oppignorare, legare, aut alio modo alienare potest. (§. 361.)

§. 830.

Cuilibet consorti fas est exigere, ut rationes reddantur et lucrum dividatur. In regula etiam petere potest, ut communio tollatur, modo id non intempestive et in detrimentum reliquorum fiat. Hinc in dilationem circumstantiis convenientem, haud facile evitabilem, ipsi consentiendum est.

§. 831.

Si consors ad continuandam communionem se obligavit, ante tempus elapsum quidem recedere nequit; sed ista obligatio quem-

admodum aliae, tollitur, et in heredes non transit, nisi hi ipsimet consenserint.

§. 832.

Dispositio quoque tertii, qua res aliqua ad communionem destinatur, a primis quidem consortibus, non vero etiam ab eorum heredibus, adimplenda est. Obligatio ad communionem perpetuam subsistere nequit.

§. 833.

Jura consortium in re communi: a) respectu sortis capitalis.

Possessio et administratio rei communis generatim omnibus consortibus competit. In negotiis, quae tantum ordinariam administrationem et usum sortis capitalis concernunt, pluralitas votorum decidit, quae non secundum personas, sed pro rata portionum consortium numerantur.

§. 834.

Si mutationes majoris momenti ad conservationem aut meliorem usum sortis capitalis proponuntur, illi, qui votis aliorum cedere debuerunt, cautionem propter futurum detrimentum, aut, si haec non praestatur, exigere possunt, ut ipsis communionem deserere liceat.

§. 835.

Si recedere nolunt; aut si recessus intem-

pestive fieret; sors, arbiter, aut si in alterutrum non omnes consentiunt, judex decidat, an mutatio absque restrictione, aut erga praestandam cautionem, locum habere possit necne. Istae species decisionum etiam, dum vota consortium paria sunt, locum habent.

§. 836.

Si administrator rerum communium constituendus est, ejus electionem pluralitas votorum decidit, et hac deficiente judex.

§. 837.

Administrator rei communis tamquam mandatarius respicitur. Ex una parte tenetur rationes rite reddere, ex altera ipsi jus est, omnes expensas utiliter factas sibi subtrahendi. Hoc valet etiam in eo casu, ubi consors rem communem sine mandato reliquorum consortium administrat.

§. 838.

Si administratio pluribus confiditur; inter illos quoque pluralitas votorum decidit.

§. 839.

b) respectu utilitatis et onerum;

Commoda et onera communia pro rata portionum determinantur. In dubio portiones aequales supponuntur; contrarium asserenti incumbit probatio.

§. 840.

De regula commoda percepta in natura dividenda sunt. Si vero talis divisio fieri non possit, cuilibet consorti fas est publicam eorum venditionem exigere. Pretium inde perceptum inter consortes pro rata distribuitur.

§. 841.

In divisione rei communis, post sublatam communionem instituenda, pluralitas suffragiorum non valet. Divisio ita facienda est, ut quilibet consors contentus sit. Si suffragia reconciliari nequeunt; sors decidat, aut arbiter, aut, si in determinatione alterutrius harum decisionis specierum non unanimiter consentiunt, judex. e) respectu divisionis.

§. 842.

Ita quoque arbiter aut judex decidit, an in divisione praediorum vel aedificiorum alicui consorti ad usum suae portionis servitus necessaria, et sub quibus conditionibus ipsi concedenda sit.

§. 843.

Si res communis aut indivisibilis sit, aut saltem sine gravi diminutione valoris dividi non possit; in publica auctione, si vel unus

consors hoc exigat, vendenda et pretium inter consortes dividendum est.

§. 844.

Servitutes, signa limites notantia, et documenta ad communem usum necessaria dividi non possunt. Servitutes praediales omnibus consortibus prosunt. Documenta, si nihil obstat, apud consortem natu maximum deponuntur. Reliqui obtinent suis sumtibus apographa fide publica firmata.

§. 845.

In dividundis praediis fines mutui pro diversitate loci per columnas, lapides terminales, aut palos modo distincto et immutabili designandi sunt. Fluvii, montes et viae publicae sunt limites naturales. Ut dolus et error arceatur, lapidibus, columnis aut palis, terminis designandis inservientibus, cruces, arma, numeri aut alia signa incidenda aut sub eis defodienda sunt.

§. 846.

De facta divisione sunt instrumenta exaranda. Consors quoad rem immobilem tantum tunc jus reale in suam portionem obtinet, quando instrumentum de divisione exaratum libris publicis inscribitur. (§. 436.)

§. 847.

Ipsa divisio rei cujuscunque communis tertio praejudicio esse nequit: omnia jura pignoris, servitutis et alia realia post divisionem, uti ante eam, exerceri possunt. Nec minus jura personalia, quae tertio erga communitatem competunt, non obstante divisione, vim suam priorem retinent.

§. 848.

Eadem ratione ille, qui communitati debet, solutionem singularibus consortibus praestare nequit. Hujusmodi debita integrae communitati, aut ei, qui eam rite repraesentat, solvenda sunt.

§. 849.

Quod hactenus de communione in genere statutum est, ad jura et res, quae alicui familiae, tamquam communitati, competunt, e. g. fundationes, fideicommissa et similia, applicari potest.

§. 850.

Signis limites designantibus per quascunque circumstantias ita corruptis, ut penitus confundi possent, cuilibet consorti fas est renovationem limitum ab omnibus simul suscipiendam exigere. Vicini, de quorum limiti- Renovatio limitum.

bus agitur, ad hunc actum citandi, limites exacte describendi et sumtus ab omnibus, juxta extensionem limitum, ferendi sunt.

§. 851.

Si limites revera amplius distingui nequeunt, aut occasione finium regundorum lis oritur, judicium imprimis novissimam possessionem tuetur. Qui hoc modo se laesum putat, argumentis, quibus possessionem, dominium, aut aliud jus sibi competens evinci posse putat, praescripto modo utatur. (§. 347.)

§. 852.

Argumenta maximi momenti in restitutione limitum sunt: dimensio et descriptio, vel etiam delineatio fundi litigiosi; deinde libri publici eo se referentes et alia documenta; demum effata testium expertorum, et suffragium a rei peritis praecedente inspectione prolatum.

§. 853.

Si neutra pars privativum possessionis aut dominii jus probat; judicium spatium litigiosum pro rata status possessionis hucusque quietae distribuit. Statu possessionis quoque dubio existente, spatium litigiosum inter partes litigantes pro rata ejus possessionis,

cui contentio innititur, adhibitis artis peritis distribuitur, et in consequentiam ejus limites ponuntur.

§. 854.

Sulci, sepes mortuae aut vivae, plancae, muri, rivi privati, canales, areae vacuae et similes separationes, quae inter praedia vicina existunt, pro re communi habentur; nisi arma, epigrapha aut inscriptiones, aut alia signa characteristica et argumenta contrarium ostendant.

Communio praesumta.

§. 855.

Quilibet consors muro communi in parte sua ad mediam usque crassitiem uti potest, immo etiam cavationes et armaria parietalia facere, ubi in parte opposita nulla adhuc sunt. Attamen non licet, aedificium exstructione camini, foci aut aliorum operum periculo exponere, et vicinum ullo modo in usu partis suae impedire.

§. 856.

Omnes condomini ad conservationem hujusmodi communium parietum intergerinorum pro rata contribuunt. Ubi dupli sunt, aut dominium divisum est, quisque id, quod ipsi proprium est, suis sumtibus conservet.

§. 857.

Si paries intergerinus ita positus est, ut tegulae, tigna aut lapides in una tantum parte promineant aut dependeant; aut si pilae, columnae, postes, sublicae in una tantum parte infossae sunt; in dubio in hac parte dominium indivisum hujus parietis intergerini existit, nisi ex onere in utraque parte existenti, ex compactura, et aliis signis characteristicis, aut aliis argumentis contrarium pateat. Etiam ille pro privativo possessore muri habetur, qui alium murum in eadem directione continuum ejusdem altitudinis et crassitiei indubie possidet.

§. 858.

In regula possessor privativus non tenetur ad murum suum vel plancam ruinosam reficiendam; sed tunc tantum ea sarta tecta conservare obligatur, si ex ruina vicino damnum immineret. Quemlibet dominum vero, ex parte dextera introitus sui principalis, necessariae inclusionis areae suae, et separationis ab area aliena curam habere oportet.

PARS SECUNDA.

SECTIO SECUNDA.

DE JURIBUS RERUM PERSONALIBUS.

CAPUT XVII.

De pactis in genere.

§. 859.

Jura rerum personalia, vi quorum unus alteri ad aliquam praestationem obligatur, fundamentum suum habent aut immediate in lege; aut in pacto; aut in laesione illata. Fundamentum jurium personalium.

§. 860.

Casus, in quibus alicui lege immediate jus rerum personale tribuitur, suo loco enumerantur. De jure damni reparationis agit caput XXX.

§. 861.

Qui declarat, se in alterum jus suum conferre, hoc est, ipsi aliquid concedere, dare, pro ipso aliquid facere, aut in ejus utilitatem aliquid intermittere velle; promittit; cujus promissum si alter valide acceptat, hoc consensu utriusque partis pactum oritur. Durantibus tractatibus et promisso nondum facto, vel vero nec antea jam nec posterius acceptato, pactum nullum adhuc habetur.

§. 862.

Si ad acceptationem promissi terminus nullus conventus fuit, promissum orale sine mora acceptandum est. In scripto distingui debet, an utraque pars in eodem loco versetur vel non. In primo casu acceptationem intra viginti quatuor horas; in altero vero intra duplum temporis spatium, quod ad responsum obtinendum requiritur, fieri et promittenti notificari oportet, secus promissum exspirat. Ante elapsum terminum statutum promissum retrahi nequit.

§. 863.

Divisio pactorum.

Voluntas non solum per verba et signa universaliter recepta, sed tacite quoque per tales actus declarari potest, qui perpensis

omnibus circumstantiis fundatam rationem dubitandi non relinquunt.

§. 864.

Pacta unilateraliter tantum vel bilateraliter obligant, prouti vel una pars tantum aliquid promittit et altera acceptat; aut ambae partes sibi mutuo jura conferunt et mutuo acceptant. Priora ergo sine retributione; posteriora cum retributione ineuntur.

§. 865.

Requisita pacti validi: 1) habilitas personarum.

Qui usu rationis caret, quemadmodum et infans infra septimum annum aetatis, incapax est promissi faciendi vel acceptandi. Aliae personae vero, quae a patre, tutore vel curatore dependent, promissum quidem solummodo in suum commodum factum acceptare possunt; sed si onus aliquod cum eo conjunctum suscipiunt, aut ipsi aliquid promittunt, validitas pacti secundum praescripta tertio et quarto capite partis primae statuta de regula a consensu ipsorum defensoris vel simul etiam judicii dependet. Donec iste consensus declaretur, altera pars recedere nequit, sed exigere potest, ut ad declarationem faciendam conveniens terminus statuatur.

§. 866.

Qui dolose simulat, se ad pacta ineunda habilem esse, et hoc modo alium, qui se de eo facile informare non potest, decipit, ad satisfactionem praestandam obligatur.

§. 867.

Quid ad validitatem pacti cum aliqua communitate sub speciali cura publicae administrationis existenti (§. 27.) aut ejus singulis membris et mandatariis requiratur, ex communitatis constitutione et legibus politicis dijudicandum est. (§. 290.)

§. 868.

Quatenus criminis reus valida pacta inire possit, codex poenalis de criminibus determinat.

§. 869.

2) Verus consensus.

Quodlibet pactum requirit consensum liberum, serium, determinatum et clarum. Si declaratio intelligi nequit; penitus indeterminata est; aut si acceptatio sub aliis modificationibus subsequitur, quam promissum factum fuit; pactum non existit. Qui ad alterum circumveniendum expressionibus obscuris utitur, aut aliquid simulat, satisfactionem praestare tenetur.

§. 870.

Qui ab acceptante metu injusto et fundato ad pactum coactus fuit, non tenetur illud adimplere. An metus fundatus fuerit, a judice ex circumstantiis dijudicandum est. (§. 55.)

§. 871.

Si alter contrahentium ab altero mendaciis in errorem inductus fuit, et error hic rem ipsam spectat, aut essentialem ejus qualitatem, in quam intentio praecipue directa et declarata fuerat, qui in errorem inductus est, non obligatur.

§. 872.

Si vero error nec rem ipsam, nec essentialem ejus qualitatem, sed circumstantiam accidentalem concernit; pactum, quatenus utraque pars in objectum principale consensit, et circumstantiam accidentalem pro fine praecipuo non declaravit, validum manet; ast in errorem inducto ab auctore erroris indemnitas conveniens praestanda est.

§. 873.

Eadem quoque principia ad errorem in persona ejus, cui promissum factum est, subversantem applicanda sunt, quatenus sine er-

rore pactum aut plane non, aut saltem alio modo, initum fuisset.

§. 874.

Perpetuo tamen ille, qui ut pactum ineatur dolo aut metu injusto effecit, pro noxiis consectariis satisfacere tenetur.

§. 875.

Si promittens a tertio aut metu injusto et fundato ad pactum ineundum coactus, aut mendaciis in errorem inductus fuit, pactum valet. Tantum in eo casu, ubi pars acceptans facti injusti tertii complex fuit aut aperte conscia esse debuit, perinde secundum §§. 870—874. tractanda est, ac si ipsamet metus aut erroris alterius partis auctor fuisset.

§. 876.

Si promittens ipse et solus causa sui erroris qualiscunque est, pactum valet, nisi acceptanti error promittentis manifesto ex circumstantiis apparere debuerit.

§. 877.

Qui petit, ut pactum ob defectum consensus nullum declaretur, ex sua parte omnia commoda restituere obligatur, quae ex tali pacto obtinuit.

§. 878.

De omnibus rebus, quae in commercio sunt, pacta iniri valent. Quod praestari nequit, quod absolute impossibile vel illicitum est, objectum validi pacti esse non potest. Qui alterum hujusmodi promissionibus decipit; qui alteri ex ignorantia culposa damnum infert; aut ex alterius damno commodum captat, ex eo tenetur.

3. Possibilitas praestationis.

§. 879.

In specie, praeter pacta suo loco indicata, sequentia invalida sunt:

1) Si quis pro matrimonio procurando sibi aliquid stipulatur;
2) Si chirurgus aut medicus ab aegroto pro suscipienda curatione; aut
3) Si causarum defensor pro suscipienda defensione determinatam recompensationem sibi stipulatur; aut causam litigiosam sibi commissam redimit;
4) Si hereditas aut legatum, quae a tertio sperantur, hoc adhuc vivente alienatur.

§. 880.

Si objectum, de quo pactum initum fuit,

ante ejus traditionem commercio eximitur, ita est, ac si pactum initum non fuisset.

§. 881.

Extra casus legibus determinatos nemo quidem pro alio promittere, aut promissum acceptare potest. Si vero quis operam suam se navaturum promisit, ut tertius aliquid faciat, vel plane tertium reapse aliquid facturum cavit; susceptam obligationem pro ratione sui promissi adimplere debet.

§. 882.

Si res possibiles et impossibiles simul promissae sunt, possibiles adimpleri debent, nisi paciscentes conditionem expressam adjecerint, nullum punctum pacti ab alio separari posse.

§. 883.

Forma pactorum.

Pactum oraliter aut scripto; in judicio aut extra illud; cum vel sine testibus iniri potest. Haec formae diversitas praeter casus in legibus determinatos diversitatem obligationum non inducit.

§. 884.

Si paciscentes expresse in pactum scriptum convenerint; ante subscriptionem eorum pro inito non habetur. Appositio sigilli etiam in hoc casu essentialiter non requiritur.

§. 885.

Si quidem instrumentum formale non- Punctatio.
dum confectum, ast tamen puncta principalia in scripturam a partibus subscriptam conjecta sunt, talis quoque scriptura jam jura et obligationes in ea expressa producit.

§. 886.

Scribendi imperitus, aut ob defectus corporales impotens duos testes, quorum unus ejus nomen subscribat, asciscere et signum manuale ordinarium suum apponere tenetur.

§. 887.

Si de pacto instrumentum exaratum fuit, conventionum, quae oraliter simul factae praetexuntur, sed cum instrumento non concordant, aut nova additamenta continent, nulla ratio habenda est.

§. 888.

Si duae aut plures personae alicui idem Obligatio vel creditum commune.
jus ad aliquam rem promittunt, aut illo promittente acceptant; tam jus quam obligatio inter eos secundum principia condominii dividuntur.

§. 889.

Extra casus in legibus determinatos quilibet ex pluribus debitoribus ejusdem rei

divisibilis tantum pro sua portione tenetur, et eodem modo ex pluribus creditoribus ejusdem rei divisibilis quemlibet portione sibi competenti contentum esse oportet.

§. 890.

E contra si de rebus indivisibilibus agitur, creditor, si unicus est, eam a quolibet debitorum conjunctorum exigere potest. Pluribus vero creditoribus et unico debitore existente, iste non obligatur rem singulo sine cautione tradere, sed consensum omnium creditorum conjunctorum, aut judicialem rei custodiam exigere potest.

§. 891.

Correalitas. Si plures personae rem eamdem in solidum ita promittunt, ut expresse unus pro omnibus, et omnes pro uno se obligent, singuli de toto tenentur. In hoc casu a creditore dependet, an ab omnibus, aut a pluribus correis debendi totum, vel partes pro libitu determinatas; vel an totum ab unico exigere velit. Haec optio ipsi adhuc post institutam actionem, si ab ea desistat, salva manet; et si ipsi ab uno aut altero correo debendi pro parte tantum satisfactum sit, residuum a reliquis exigere valet.

§. 892.

Si vero quis pluribus personis eamdem rem promisit, jure eam integram in solidum exigendi ipsis expresse tributo; debitor totum ei creditori praestare obligatur, qui illud primus ab ipso exegerit.

§. 893.

Quamprimum unus correorum debendi creditori totum solvit, posterior a reliquis correis debendi nihil amplius exigere; et postquam unus correorum credendi a debitore plenam suam satisfactionem accepit, reliqui correi credendi nihil amplius postulare possunt.

§. 894.

Nemo correorum debendi cum creditore onerosiores conditiones ineundo reliquis nocere potest; nec venia aut liberatio, quam aliquis correus debendi pro sua persona obtinet, reliquis prodest.

§. 895.

Quatenus ex pluribus correis credendi, quibus res eadem in solidum promissa fuit, ille, qui rem debitam totam pro se obtinuit reliquis creditoribus obligetur, ex specialibus inter correos credendi vigentibus relationibus

juridicis determinandum est. Hujusmodi relationibus non existentibus nemo eorum alteri tenetur.

§. 896.

Correus debendi in solidum, qui totum debitum ex suo solvit, jure gaudet, etiam sine actionum cessione, a reliquis refusionem, et quidem, si alia specialis ratio inter ipsos non existit, aequalibus partibus exigendi. Si quis eorum facultate se obligandi caruit, aut si obligationi suae satisfaciendae impar est; pars illius ita deficiens eadem ratione ab omnibus correis debendi est suscipienda. Liberatio unius correorum debendi reliquis in exactione refusionis praejudicare nequit. (§. 894.)

§. 897.

Accidentalia pactorum. 1) Conditiones.

Respectu conditionum pactis adjectarum in genere praescripta de conditionibus ultimae voluntatis dispositionibus additis valent.

§. 898.

Conventiones sub hujusmodi conditionibus, quae in ultima voluntate pro non adjectis habentur, invalidae sunt.

§. 899.

Si conditio in pacto praescripta jam ante pactum adimpletur, post pactum tunc tantum

repetenda est, si consistit in actu jus adquisituri, et ab eo repeti valet.

§. 900.

Jus sub conditione suspensiva promissum in heredes quoque transit.

§. 901.

Motivum aut finis consensus a partibus expresse pro conditione posita tamquam aliae conditiones respiciuntur. Hoc vero non facto ejusmodi declarationes validitatem pactorum onerosorum non afficiunt. Pactis vero gratuitis praescripta de ultimae voluntatis dispositionibus sancita applicanda sunt. 2) Motivum.

§. 902.

Pacta tempore, loco et modo a partibus convento adimplenda sunt. Secundum legis dispositionem 24 horae diem, 30 dies mensem, et 365 dies annum efficiunt. 3) Tempus, locus et modus adimpletionis.

§. 903.

Jus, cujus adquisitio ad certum diem fixa est, initio hujus diei adquiritur. Ad adimplendam vero obligationem obligato integer dies determinatus prodest.

§. 904.

Si tempus adimplendi pacti determinatum non est; adimpletio statim, absque mora

nimirum haud necessaria, exigi potest. Si obligatus tempus adimpletionis arbitrio suo reservavit; aut ejus mors exspectanda est, et ejus heredes de pacto servando interpellandi; aut si agitur de obligatione mere personali ad heredes non transeunti, curandum est, ut tempus adimplendi pacti secundum aequitatem definiatur. Quod posterius etiam tunc locum habet, si obligatus adimpletionem pro possibilitate, aut quando sine difficultate fieri poterit, promisit. Caeterum praescripta, superius (§§. 704— 706.) ratione temporis determinationis ultimae voluntatis dispositionibus adjectae sancita, etiam hic applicanda sunt.

§. 905.

Si locus, ubi pactum adimplendum sit, nec ex conventione, nec ex natura, aut fine negotii determinari potest; res immobiles in eo loco, ubi sitae, mobiles vero in eo loco, ubi promissum factum, traduntur. Ratione mensurae, ponderis et pecuniae specierum locus traditionis respiciendus est.

§. 906.

Si promissum pluribus modis adimpleri potest, obligato optio competit; qui tamen

optione semel facta ab ea propria auctoritate recedere nequit.

§. 907.

Pacto expresse reservata optione inito, et hac interitu casuali unius aut plurium individuorum, ex quibus eligendum erat, irrita reddita, ea pars, cui optio competit, pacto non obligatur. Quodsi vero obligatus in culpa est, illi, cui jus competit, de jure optionis eluso tenetur.

§. 908.

Quod in contractione pacti in antecessum datur, extra casum specialis conventionis, tantum ut signum pacti perfecti, aut ut cautio futurae adimpletionis illius, respiciendum est, et arrha vocatur. Pacto per reatum alterius partis non adimpleto, pars culpa vacans arrham acceptam sibi servare, aut duplum ejus, quam dedit, repetere; quodsi vero hoc contenta non fuerit, adimpletionem; aut hac non amplius possibili, indemnitatem exigere potest. 4) Arrha;

§. 909.

Si in contractione pacti certa quantitas determinatur, quam alterutra pars in casu, quo a pacto ante adimpletionem recedere vellet, praestare debeat; pactum erga mulctam 5) Mulcta poenitentialis;

poenitentialem contrahitur. In hoc casu aut pactum adimplendum, aut mulcta poenitentialis solvenda est. Qui pactum, licet tantum pro parte, adimplevit; aut, quod ab altero ad pactum quamvis tantum ex parte adimplendum praestitum fuit, acceptavit: nec erga praestationem mulctae poenitentialis recedere amplius potest.

§. 910.

Si arrha datur et simul facultas poenitendi sine determinatione certae mulctae statuitur, arrha locum mulctae poenitentialis tenet. In casu ergo, quo a pacto receditur, qui arrham dedit, eam amittit; qui illam accepit, ejus duplum restituit.

§. 911.

Ille quoque, qui non mero casu, sed culpa sua in adimplendo pacto impeditur, mulctam poenitentialem luere tenetur.

§. 912.

6) obligationes accessoriae.

Creditor nonnunquam a debitore suo praeter debitum principale obligationes accessorias petere potest; hae consistunt in accessione et fructibus rei principalis; in usuris conventis vel ob moram solvendis; aut in restitutione damni dati; aut praestatione ejus,

quod alterius interest obligationem non rite adimpletam fuisse; demum in praestatione illius summae, quam sibi aliqua pars pro tali casu stipulata est.

§. 913.

Quatenus cum jure reali jus in ejus accessiones aut in fructus conjunctum sit, in capite primo et quarto partis secundae determinatum fuit. Ob jus mere personale obligationes accessoriae non debentur. Quatenus creditori jus in eas sit, partim ex singularibus speciebus et modificationibus pactorum, partim ex capite de jure indemnitatis et satisfactionis definiendum est.

§. 914.

Regulae interpretationis in pactis adhibendae.

Regulae generales in parte prima (§. 6) ratione interpretationis legum expositae ratione pactorum quoque valent. In specie pactum dubium ita interpretandum est, ut ne contradictionem involvat et ut effectum sortiatur.

§. 915.

In pactis unilateralibus in dubio supponitur, obligatum sibi potius minus, quam majus onus imponere voluisse; in bilateralibus verba ambigua contra eum declarantur, qui illis usus est. (§. 869.)

§. 916.

Si negotium aliquod tantum dicis causa contrahitur, secundum ea praescripta legalia judicandum est, quae ad ipsum secundum veram ejus indolem spectant.

§. 917.

De modis, quibus pacta tolluntur.

Quomodo obligationes ex pactis orientes exspirent, de quolibet pacto singillatim, et generatim in capite de tollendis obligationibus determinabitur.

§. 918.

Omnia jura et obligationes ex pactis orientia, in heredes paciscentium transeunt, nisi relationibus et qualitatibus mere personalibus innitantur; aut nisi heredes jam ipso pacto aut lege excepti fuerint. Promissum nondum acceptatum, licet alterutra tantum parte intra tempus deliberationis mortua, in heredes non transit. (§. 862.)

§. 919.

Alterutra parte contractum aut penitus, aut tempore et loco debito et modo convento, non adimplente, altera pars extra casus in legibus determinatos, aut expressam reservationem, jure non gaudet sublationem

pacti, sed tantum exactam ejus adimpletionem et indemnitatem exigendi.

§. 920.

A pacto adimpleto partes neque mutuo consensu amplius recedere queunt, sed novam conventionem contrahant oportet, quae tamquam aliud negotium respicitur.

§. 921.

In contractu oneroso aut res rebus; aut facta, quibus etiam omissiones adnumerantur, factis; aut res factis, et facta rebus compensantur. (§. 864.) Generales determinationes de contractibus et negotiis onerosis.

§. 922.

Si quis rem titulo oneroso in alterum transfert, evictionem debet, eam qualitates expresse promissas, aut ordinariae in ea suppositas, habere et secundum naturam negotii aut factam conventionem utilitatem et usum praestituram esse. Evictionis praestatio.

§. 923.

Qui ergo rei qualitates adscribit, quas non habet, et quas altera pars diserte aut secundum naturam negotii tacite sibi stipulata est; qui vitia inconsueta, aut onera ejus reticet; qui rem non amplius existentem aut alienam pro sua alienat; qui rem ad certum Casus evictionis praestationis.

usum idoneam mentitur; aut ab ordinariis quoque defectibus et oneribus liberam esse asserit: si contrarium apparet, quod alterius interest, praestare tenetur.

§. 924.

Si animal intra viginti quatuor horas post traditionem aegrotare incipit aut moritur; jam ante traditionem aegrum fuisse praesumitur.

§. 925.

Eadem praesumtio valet:

1) si intra octiduum in suibus grando (die Finne), in ovibus variolae aut scabies (die Pocken oder die Räude), aut si in posterioribus intra duos menses fasciolae hepaticae (die Lungen- und Egelwürmer);
2) si in pecude bubula intra triginta dies post traditionem morbus glandularum (die Drüsenkrankheit, so genannte Stiersucht);
3) si in equis et jumentis intra quindecim dies post traditionem glandula suspecta vel mucor (die verdächtige Drüse oder der Rotz); aut asthma (der Dampf), aut intra triginta dies furor (der Dummkoller), vermis (der Wurm), restitantia (die

Stättigkeit), gutta serena (der schwarze Staar), vel oculus lunaticus (die Mondblindheit) invenitur.

§. 926.

Haec praesumtio juris (§. 924—925.) illi, cui animal ejusmodi traditum fuit, tunc tantum favet, si de defectu invento tradentem aut auctorem suum statim certiorem reddit; aut eo absente rem judicio loci, aut artis peritis indicat, et curat, ut conspectus praesens habeatur.

§. 927.

Hanc cautelam negligenti probatio incumbit, animal jam ante traditionem aegrotasse. Tradenti vero semper liberum est probare, defectum quaestionis primo post traditionem ingruisse.

§. 928.

Si vitia alicujus rei pateant; aut si onera rei inhaerentia ex libris publicis cognosci possint; evictioni, nisi expresse promissum fuerit, rem omnibus defectibus et oneribus vacare, locus non est. (§. 443.) Debitorum et praestationum residuarum rei inhaerentium evictio semper praestanda est.

§. 929.

Qui sciens rem alienam acceptat, evictionis praestationem exigere nequit, non secus ac ille, qui ei expresse renunciavit.

§. 930.

Si res per aversionem, in eo statu nimirum, in quo existunt, sine numero, mensura et pondere traduntur: tradens pro defectibus in eis repertis non tenetur, nisi qualitas ab eo falso promissa, aut ab acceptante pro conditione posita, deficiat.

§. 931.

Conditiones evictionis praestationis.

Si possessor ob praetensionem a tertio in rem factam jure evictionis praestationem petendi uti vult; auctorem suum de eo informare et defensionem secundum praescripta codicis judiciarii petere debet. Omittendo hanc petitionem jus indemnitatis quidem nondum perdit; ast auctor ejus ipsi omnes exceptiones contra tertium non factas opponere, et se ab obligatione indemnitatem praestandi eatenus liberare potest, quatenus judicatur, istas exceptiones rite oppositas effecturas fuisse, ut ratione tertii alia sententia ferretur.

§. 932.

Si defectus, ob quem evictionem praestari oportet, ejus generis est, ut tolli amplius nequeat, et usum ordinarium rei impediat, laesus rescissionem contractus; si vero id, quod deficit, e. g. in mensura et pondere, suppleri potest, solummodo, ut defectus suppleatur, exigere potest; in utroque tamen casu resarcitionem ulterioris damni, et si altera pars dolose egisset, etiam lucri cessantis exigere ei fas est. Ejus effectus.

§. 933.

Qui evictionis praestationem exigere vult, jus suum, si res immobiles spectat, intra tres annos; si vero mobiles, intra sex menses exercere tenetur, alioquin exspiraturum. Cessatio juris evictionis praestationem exigendi.

§. 934.

Si in negotiis bilateralibus alterutra pars ne quidem dimidium ejus, quod alteri dedit, ab ea in valore ordinario accepit; lex parti laesae jus tribuit rescissionem contractus et restitutionem in priorem statum exigendi. Altera pars vero negotium hac ratione validum conservare potest, si, quod ad valorem or- Indemnitas ob laesionem ultra dimidium.

dinarium deficit; suppleat. Disproportio valoris secundum tempus initi negotii judicatur.

§. 935.

Istud juris remedium locum non habet; si quis expresse ei renunciavit aut declaravit, se pro re ob singularem affectionem aestimationem extraordinariam praestare; si, licet vero valore sibi cognito, tamen in retributionem incongruentem consensit; porro, si ex relatione personarum praesumendum est, eas ex oneroso et lucrativo mixtum contractum inire voluisse; si verus valor non amplius erui potest; demum si res a judicio licitationi exposita fuit.

§. 936.

Conventio de pacto ineundo

Conventio de pacto ineundo tunc tantum obligat, si tam tempus illud ineundi, quam partes ejus essentiales determinatae, nec circumstantiae interea ita mutatae sunt, ut propterea finis expresse determinatus, aut ex circumstantiis apparens evanescat, aut fiducia unius vel alterius partis perdatur. In genere adimpletio hujusmodi promissionum ad summum intra unum annum post terminum con-

ventum exigenda est; secus jus inde ortum exspirat.

§. 937.

Si quis generatim et indeterminate exceptionibus contra validitatem contractus renunciet, hujusmodi renunciationes effectu destituuntur. Quatenus exceptionibus renunciare liceat.

Caput XVIII.

De donationibus.

§. 938.

a) Donatio. Pactum, quo res in alterum gratis transfertur, donatio vocatur.

§. 939.

Quando renunciatio donatio sit. Qui juri sperato, aut jam delato, aut dubio renunciat, quin illud in alterum rite transferat, aut obligato cum ejus consensu remittat, pro donante habendus non est.

§. 940.

Donatio remuneratoria. Essentia donationis haud mutatur, si ex grato animo, aut contemplatione meritorum donatarii, aut in specialem remunerationem fiat, dummodo donatario prius jam actio non competierit.

§. 941.

Si donatarius jus habuit remunerationis

causa actionem instituendi, quia vel inter partes jam conventa, vel legibus praescripta fuit; negotium donatio esse cessat, et pro pacto bilaterali habendum est.

§. 942.

Donationes reciprocae.

Si donationes in antecessum ita initae sunt, ut donanti iterum aliquid donandum sit; quoad totum vera donatio non existit, sed tantum quoad valorem excedentem.

§. 943.

Forma pacti donationis,

Ex pacto donationis tantum oraliter, absque effectiva traditione inito, donatario jus actionis non oritur. Tale jus documento scripto fundari debet.

§. 944.

et quantitas donationis.

Dominus illimitatus observatis legum praescriptis integrum suum patrimonium praesens donare potest. Pactum vero, quo futurum patrimonium donatur, eatenus tantum subsistit, quatenus dimidiam partem hujus patrimonii non excedit.

§. 945.

Quatenus donans rei donatae evictionem praestet.

Qui sciens rem alienam donans donatario hanc circumstantiam reticet, de consectariis nocivis tenetur.

§. 946.

Irrevocabilitas donationum.

Donationes in regula revocabiles non sunt.

§. 947.

Exceptiones: 1) ob egestatem;

Si donans postea tali egestate prematur, ut sustentatione neccessaria careat, fas ipsi est, quolibet anno quantitatis donatae usuras legales, quatenus res donata aut valor ejus existit et illi sustentatio necessaria deficit, a donatario exigere, nisi hic ipse simili egestate laboret. Ex pluribus donatariis prior tempore eatenus tantum obligatur, quatenus collationes posteriorum donatariorum ad sustentationem non sufficiunt.

§. 948.

2) ob ingratitudinem;

Porro donatio revocari potest, si donatarius erga benefactorem suum gravis ingratitudinis se reum reddit. Sub gravi ingratitudine talis laesio in corpore, honore, libertate, aut in patrimonio intelligitur, propter quam contra laedentem ex officio, aut ad petitionem laesi, secundum leges poenales procedi possit.

§. 949.

Ingratitudo efficit, ut ingratus pro sua persona tamquam malae fidei possessor respi-

ciatur, et etiam heredibus laesi, in quantum hic ingratitudinem non condonavit, et de re donata in natura aut valore adhuc aliquid superest, actionem revocandae donationis contra ipsos heredes laedentis tribuit.

§. 950.

3) ob diminutionem sustentationis alicui debitae;

Qui alteri sustentationem suppeditare obligatur, juri ejus per donationem tertio factam praejudicare nequit. Hoc modo laesus jure gaudet donatarium conveniendi, ut illud suppleat, quod donans ipsi praestare amplius nequit. Pluribus donatariis existentibus regula supra (§. 947.) statuta observanda est.

§. 951.

4) ob laesionem legitimae;

Qui tempore donationis descendentes habet, quibus legitimam relinquere obligatur, in eorum praejudicium donationem facere nequit, quae dimidiam partem patrimonii ejus excederet. Si hunc modum egressus est, et si descendentes post ejus mortem probare possunt, puram ejus hereditatem dimidio patrimonii, tempore donationis habiti, aequalem non esse; a donatario partem contra leges acceptam pro rata repetere possunt.

§. 952.

Si donatarius rem donatam aut ejus va-

lorem amplius non possidet; eatenus tantum tenetur, quatenus eam mala fide possidere desiit.

§. 953.

5) ob praejudicium creditoribus factum;

Sub eadem (§. 952.) limitatione etiam ea dona repeti possunt, per quae creditoribus, tempore donationis jam existentibus, praejudicium factum est. Ad creditores, quorum jura donatione posteriora sunt, istud jus tunc tantum extenditur, quando donatarius fraudulentae collusionis convinci potest.

§. 954.

6) ob supernascentiam liberorum.

Si donanti proles non habenti post initum donationis pactum proles nascuntur, nec ipsi, nec liberis supernatis jus est donationem revocandi. Attamen ipse, aut proles supernata, in casu egentiae tam contra donatarium, quam contra ejus heredes, jus supra dictum ad usuras legales quantitatis donatae exercere valent. (§. 947.)

§. 955.

Quae donationes in heredes non transeant.

Si donans donatario praestationem aliquam certis temporibus faciendam promisit, heredibus eorum nec jus nec obligatio est, nisi in pacto donationis diserte aliud conventum sit.

§. 956.

Donatio, cujus adimpletio primo post mortem donantis subsequi debet, observatis solemnitatibus praescriptis, tamquam legatum valet. Tamquam pactum nonnisi in eo casu respicienda est, si, donatario eam acceptante, donans facultati eam revocandi expresse renunciavit, et instrumentum desuper exaratum donatario traditum fuit. Donatio mortis causa.

CAPUT XIX.

De contractu depositi.

§. 957.

b) Depositum. Si quis rem alienam custodiendam recipit, contractus depositi habetur. Promissio acceptata de re aliena, nondum tradita, in custodiam suscipienda promittentem quidem obligat, ast contractus depositi nondum est.

§. 958.

Per contractum depositi depositarius nec dominium nec possessionem, nec jus usus adquirit; sed merus detentor est cum obligatione rem sibi commissam a periculo tuendi.

§. 959.

Quando in mutuum aut commodatum; Si depositario ad ipsius petitionem, aut liberam oblationem deponentis, usus rei depositae conceditur, in priori casu contractus statim post concessionem, in posteriori vero ab

eo momento depositum esse cessat, quo depositarius jus oblatum acceptavit, aut re deposita revera uti coepit, et si res depositae fungibiles sunt, in contractum mutui, si non fungibiles, in contractum commodati abit, atque jura et obligationes ex his oriunda obtinent.

§. 960.

Et mobiles et immobiles res in custodiam dari possunt. Quodsi vero depositario simul aliud negotium ad rem commissam relatum deferatur; tamquam mandatarius respicitur. aut mandatum abeat.

§. 961.

Obligatio principalis depositarii est: rem sibi commissam per tempus conventum sollicite custodire, et hoc elapso deponenti in eo statu, in quo eam accepit et cum omni accessione, restituere. Jura et obligationes depositarii;

§. 962.

Depositarius deponenti rem, quandocunque petierit, etiam ante tempus conventum lapsum, restituere tenetur, et praeter reparationem damni sibi forte causati nihil exigere potest. E contrario vero ipse rem ante hoc tempus elapsum reddere nequit; nisi circum-

stantia haud praevisa ipsi impossibile reddat, rem secure aut sine proprio suo detrimento custodire.

§. 963.

Si tempus depositi nec expresse statutum fuerit, nec ex aliis circumstantiis colligi possit, custodia pro arbitrio renunciari potest.

§. 964.

Depositarius deponenti damnum omissione debitae custodiae datum, non vero casum, praestare tenetur; ne tunc quidem, si rem depositam, licet praetiosiorem, pessumdando propriam suam, salvare potuisset.

§. 965.

Si vero depositarius re deposita usus est; si eam sine necessitate et sine consensu deponentis tertio in custodiam tradidit; aut restitutionem moratus est, et res damnum patitur, cui apud deponentem non fuisset exposita; casum opponere nequit, et damnum illatum ipsi imputatur.

§. 966.

Si res obseratae aut obsigillatae depositae sunt, et si postea, sera vel sigillo laesis repertis, deponens sibi aliquid deficere asserit, ad juramentum de damno suo, in quantum pro

conditione, quaestus modo, facultatibus ejus et reliquis circumstantiis verosimile est, secundum praescripta codicis judiciarii admitti debet, nisi depositarius probare possit, laesionem serae aut sigilli sine culpa sua factam esse. Hoc etiam tunc valet, si omnes hac ratione depositae res perditae sint.

§. 967.

Deponens obligatur depositario damnum culpa sua factum, et sumtus ad rem depositam conservandam, vel ad augendas utilitates adhuc existentes impensos rependere. Si depositarius in casu periculi ad rem depositam servandam proprias suas perire sivit, poterit indemnitatem convenientem exigere. Actiones vero mutuae depositarii et deponentis rei mobilis solummodo intra triginta dies post rem restitutam institui possunt. et deponentis.

§. 968.

Si res litigiosa a partibus litigantibus aut a judicio alicui in custodiam datur, custodiens sequester vocatur. Jura et obligationes sequestri ex principiis modo positis dijudicantur. Sequester.

§. 969.

Merces pro custodia tunc tantum exigi An deposita-

rio merces debeatur. valet, quando expresse, aut pro conditione depositarii tacite conventa fuit.

§. 970.

Caupones, nautae, aut vectores de rebus a peregrinantibus receptis, aut mercibus, ipsis aut eorum famulis ad transportationem traditis, aeque ac depositarius cavent (§. 1316.)

Caput XX.

De commodato.

§ 971.

Contractus commodati existit, si cui res non fungibilis solummodo ad usum gratuitum in determinatum tempus traditur. Pactum, quo alicui res commodanda promittitur, quin tradatur, obligat quidem, ast contractus commodati nondum est. c) Commodatum.

§. 972.

Commodatarius jus adquirit re ordinario aut diserte determinato modo utendi. Tempore elapso obligatur rem eamdem restituere. Jura et obligationes commodatarii: 1) ratione usus;

§. 973.

Si tempus ad restitutionem nullum statutum, sed finis, ad quem usus concessus est, determinatus fuit; commodatario obligatio est usum non differendi, et rem, quam primum possibile est, restituendi. 2) restitutionis;

§. 974.

Si nec tempus usus, nec finis, ad quem concessus sit, determinata fuerunt, verum pactum non existit, sed precarium; et, qui rem alteri concessit, eam pro arbitrio suo repetere valet.

§. 975.

Controversia de tempore usus orta, commodatario incumbit jus diutius utendi probare.

§. 976.

Etiamsi res commodata ante tempus elapsum et ante finitum usum ipsi commodanti necessaria fiat, tamen citra expressam conventionem jure rem prius repetendi non gaudet.

§. 977.

Commodatario quidem de regula fas est rem commodatam ante tempus statutum restituere; si vero restitutio ante tempus facta commodanti oneri sit, ipso invito locum habere nequit.

§. 978.

3) damni facti; Si commodatarius re commodata alio modo utitur, quam conventum fuit, aut si propria auctoritate usum ejus tertio concedit,

commodanti responsabilis est, qui simul jure gaudet rem extemplo repetendi.

§. 979.

Si res commodata damnum patitur, aut pessumdatur; commodatarius non solum damnum immediate culpa sua datum, sed etiam casuale, quod actu injusto causavit, perinde ac depositarius reparare tenetur. (§. 965.)

§. 980.

Commodatario ex praestatione valoris rei commodatae perditae jus haud nascitur eam iterum repertam invito domino sibi habendi, si iste ad pretium receptum restituendum paratus est.

§. 981.

Sumtus cum usu rei ordinarie conjunctos commodatarius ipsemet ferre tenetur; sumtus extraordinarios ad rem conservandam necessarios eatenus quidem, quatenus rem propriae curae commodantis committere nequit aut nonvult, ipsemet interea suppeditare debet, sed ei quemadmodum bonae fidei possessori refunduntur.

4) sumtuum necessariorum;

§. 982.

Si commodans post receptam rem commodatam abusum, aut nimiam ejus attenua-

Restrictio mutuarum actionum.

tionem intra triginta dies non incusavit; aut si commodatarius post restitutionem rei sumtuum extraordinariorum in rem impensorum intra eumdem terminum nullam mentionem fecit, jus actionis cessavit.

Caput XXI.

De contractu mutui.

§. 983.

Si cui res fungibiles sub hac conditione traduntur, ut quidem pro arbitrio de eis disponere possit, sed post certum tempus tantundem in eodem genere et eadem qualitate restituat, contractus mutui exoritur; qui cum pacto de mutuo dando, licet quoque obligatorio (§. 936.), confundendus non est. Mutuum.

§. 984.

In mutuum aut pecunia aut aliae res fungibiles dantur, et quidem sine usuris vel erga usuras. In posteriori casu mutuum etiam contractus foeneratitius nominatur. Ejus species.

§. 985.

Mutuum pecuniarium potest aere excuso, aut schedulis monetam repraesentantibus, aut chirographis publica auctoritate exaratis consistere. Mutuum in pecunia;

§. 986.

a) in moneta excusa aut schedulis monetam repraesentantibus;

Quatenus generatim mutuum in moneta excusa contrahi possit, et in quo valore (qua valuta) tale mutuum, aut mutuum in schedulis monetam repraesentantibus contractum restituendum sit, praescripta de hac re speciatim promulgata determinant.

§. 987.

Si creditor solutionem in peculiari ab ipso data monetae specie sibi stipulatus est; solutio in eadem specie praestari debet.

§. 988.

Mutationes in monetis per leges, sine mutatione interni valoris factae, creditori prosunt aut nocent. Ipse solutionem in specie monetae determinata, quam dedit, recipit, e. g. 1000 aureos imperiales, aut 3000 nummorum viginti cruciferos valentium, nulla ratione habita, an illorum valor externus interea auctus vel diminutus fuerit. Si vero valor internus mutatur, solutio in ratione valoris interni, quem moneta data tempore mutui habuit, praestanda est.

§. 989.

Si tempore solutionis praestandae ejusmodi species monetarum in communi com-

mercio in civitate non existunt; debitor creditori monetis proxime accedentibus in eo numero et eo modo satisfacere obligatur, ut hic valorem, quem tempore mutui constituti species data habuit, nanciscatur.

§. 990.

In chirographis aerarii publici mutuum ita valide contrahi potest, ut solutio aut chirographo aerarii publici omnino aequali cum eo, quod datum fuit, praestetur, aut pecuniae quantitas aequalis valori, quem chirographum tempore mutui habuit, restituatur. b) in chirographis aerarii publici.

§. 991.

Si pecuniae loco chirographum privatum aut merces mutuo datae sunt, debitor tantum obligatur aut chirographum aut merces receptas illaesas restituere, aut creditori damnum ab hoc probandum reparare.

§. 992.

In mutuo non in pecunia, sed in aliis rebus fungibilibus contracto, modo restitutio in eodem genere, eadem qualitate et quantitate conventa fuerit, nihil interest, intermedio tempore valorem illarum auctum vel diminutum fuisse. c) mutuum aliarum rerum fungibilium.

§. 993.

Usurae. Si creditor in qualicunque mutuo ratione generis, qualitatis aut quantitatis expresse vel tacite plus sibi stipulatur, quam dedit; pactum eatenus tantum valet, quatenus per ipsum quantitas licitarum usurarum conventionalium non exceditur.

§. 994.

Per pactum pignore constituto quinque, sine pignore sex pro centum pro uno anno quilibet sibi stipulari potest. Eadem mensura licitarum usurarum conventionalium tunc etiam intelligenda est, si usurae quidem conventae, sed quantitas illarum non fuit definita.

§. 995.

Si cuipiam usurae, sine expressa conventione, ex lege debentur, quatuor pro centum, et inter mercatores et fabricantes, ab instantiis facultatem habentes respectu debiti, ex negotio mercaturam proprie spectante orti, sex pro centum per annum tamquam legitimae praestandae sunt.

§. 996.

Obligationes, praeter determinationem loci et temporis solutionis sortis et usurarum, in favorem creditoris sub quacunque specie et

denominatione initae; aut commoda, quae creditor sibi vel aliis praeterea adhuc stipulatus est, eatenus non valent, in quantum eis simul sumtis mensura licitarum usurarum conventionalium exceditur.

§. 997.

Usurae sunt ordinarie cum ipsa sorte, vel si pactum in plures annos contractum, et in eo ratione terminorum ad solutionem usurarum nihil statutum fuit, omni anno solvendae. In antecessum ad summum pro sex mensibus detrahi possunt. Usurae ultra hanc mensuram in antecessum detractae a die factae detractionis ab ipsa sorte subtrahantur.

§. 998.

Usurae usurarum nunquam accipi possunt; a duobus tamen vel pluribus annis restantes, medio conventionis, tamquam novum mutuum constitui possunt.

§. 999.

Usurae in mutuo pecuniario debent in eodem valore (eadem valuta) quemadmodum ipsa sors praestari.

§. 1000.

Quomodo foeneratio injusta ratione sortis vel quantitatis usurarum legitimae com-

missa tractanda sit, lex specialis contra foeneratores lata determinat.

§. 1001.

Forma chirographi.

Ut chirographum contractum mutui plene probet, oportet, ut in eo verus mutuans seu creditor, non minus quam verus mutuatarius seu debitor; objectum et quantitas mutui; et, si pecunia constat, genus ipsius, nec non omnes tam solutionem debiti principalis, quam usurarum forte praestandarum spectantes conditiones sincere et clare exprimantur. Forma externa chirographi ad vim probandi necessaria in codice judiciario statuitur.

Caput XXII.

De mandato et aliis speciebus negotiorum gestionis.

§. 1002.

Contractus, quo quis negotium sibi delatum nomine alterius gerendum suscipit, contractus mandati vocatur. Contractus mandati.

§. 1003.

Personae, ad gestionem certorum negotiorum publice constitutae, obligantur, si ipsis ejusmodi negotium defertur, mandanti sine mora diserte declarare, an mandatum suscipiant vel non; alias ei damnum inde ortum praestare tenentur.

§. 1004.

Si pro negotii alieni gestione aut expresse, aut, secundum conditionem negotium gerentis, tantum tacite remuneratio convenitur; contractus ad onerosos, extra hunc casum vero ad gratuitos, pertinet. Divisio mandati in gratuitum et mercenarium;

§. 1005.

nuncupativum vel scriptum;

Contractus mandati oraliter vel scripto iniri possunt. Documentum a mandante mandatario exaratum mandatum quoque vocatur.

§. 1006.

generale vel speciale;

Mandata sunt generalia vel specialia, prouti alicui omnium, aut quorumdam tantum negotiorum gestio committitur. Mandata specialia vel mere judicialia vel mere extrajudicialia negotia in genere; aut singularia negotia unius vel alterius generis pro objecto habere possunt.

§. 1007.

illimitatum et limitatum;

Mandata vel cum illimitata vel cum limitata potestate agendi constituuntur. Illis mandatarius jus adquirit, negotium pro optima sua scientia et conscientia peragendi; his vero ipsi limites, in quantum, et modus, quo peragendum sit, praescribuntur.

§. 1008.

Negotia sequentia mandatum speciale pro ejus generis negotiis datum requirunt: Si nomine alterius res alienandae, aut titulo oneroso accipiendae, commodatum vel mutuum ineundum; pecunia aut ejus aequivalens levanda; lites instituendae; juramenta deferen-

da, acceptanda aut referenda, vel transactiones ineundae sunt. Si vero agitur de hereditate pure adeunda, vel repudianda; societatibus ineundis; de donationibus; facultate arbitrum eligendi concedenda, aut gratuita renunciatione jurium; speciale mandatum pro singulo tali negotio exaratum requiritur. Mandata generalia, etsi illimitata, in his casibus tunc tantum sufficiunt, si genus negotii in mandato expressum fuit.

§. 1009.

Mandatarius obligatur negotium secundum promissum suum et mandatum obtentum sedulo et fideliter gerere, et omnem utilitatem ex negotio orientem mandanti reddere. Etiamsi limitatum habeat mandatum, fas est ipsi, omnia media adhibere, quae cum natura negotii necessario conjuncta sunt, aut intentioni declaratae mandantis conveniunt. Si vero limites mandati transgreditur, de consectariis responsabilis redditur.

Jura et obligationes mandatarii;

§. 1010.

Ubi mandatarius absque necessitate negotium alteri gerendum committit, solus de eventu tenetur. Quodsi mandato constitutio substituti diserte concessa fuit, aut per cir-

cumstantias inevitabilis redditur; solummodo propter reatum in eligenda persona comissum obligatur.

§. 1011.

Si negotium pluribus mandatariis simul confertur, omnes concurrant oportet, ut negotium valeat et mandans obligetur; nisi expresse uni aut pluribus eorum plena potestas in litteris mandati concessa fuerit.

§. 1012.

Mandatario obligatio incumbit mandanti damnum culpa sua datum reparandi, et rationes de negotio reddendas, quandocunque mandans exigat, ipsi exhibendi.

§. 1013.

Mandatarii, extra casum in §. 1004. expressum, jure non gaudent operae suae impensae causa remunerationem exigendi. Nec illis licet, sine consensu mandantis contemplatione negotiorum gestionis a tertio dona recipere. Recepta ad utilitatem aerarii pauperum confiscantur.

§. 1014.

mandantis; Mandans obligatur mandatario omnes ad gerendum negotium necessarias vel utiles expensas, successu licet deficiente, refundere,

et ipsi petenti ad sumtus necessarios in parata pecunia faciendos proportionatam quantitatem ejus in antecessum tribuere; porro tenetur omne damnum culpa sua ortum, aut adimpletioni mandati conjunctum, reparare.

§. 1015.

Si mandatarius in gestione negotii mero casu fortuito damnum patitur; negotio gratis gerendo suscepto talem summam postulare valet, qualis ipsi, pacto onerose contracto, remunerationis operae ejus nomine secundum maximum aestimationis pretium competivisset.

§. 1016.

Si mandatarius limites mandati sui transgreditur, mandans eatenus tantum obligatur, quatenus negotium approbavit, aut utilitatem ex eo orientem in rem suam vertit.

§. 1017.

In quantum mandatarius vi mandati man- ratione tertii;
dantem repraesentat, jura ipsi adquirere et obligationes imponere potest. Si ergo intra limites mandati patentis cum tertio pactum inivit; jura et obligationes inde orta mandanti et tertio, non vero mandatario, contracta

sunt. Mandatum secretum mandatario datum in jura tertii non influit.

§. 1018.

In illo quoque casu, ubi mandans mandatarium ad se ipsum obligandum inhabilem constituit, negotia intra limites mandati gesta tam mandantem, quam tertium obligant.

§. 1019.

Si mandatarius mandatum, tertio commodum aliquod tribuendi, obtinuit et acceptavit; tertius, quam primum a mandante vel mandatario de eo certus redditus fuit, jus adquirit erga alterutrum actionem instituendi.

§. 1020.

Dissolutio hujus contractus, revocatione;

Mandanti facultas est mandatum pro arbitrio revocandi; attamen mandatario non solum sumtus intermedio tempore erogatos et damnum, quod praeterea passus est, rependere obligatur, sed etiam partem remunerationis operae impensae convenientem praestare; quod etiam tunc locum habet, si perfectio negotii casu impedita fuit.

§. 1021.

renunciatione;

Nec minus mandatarius mandatum acceptum renunciare potest. Ast si illud ante perfectum ipsi specialiter commissum, aut ex

mandato generali inceptum negotium renunciat; omne damnum inde ortum reparare obligatur, nisi impedimentum improvisum et inevitabile intercesserit.

§. 1022.

De regula mandatum tam morte mandantis, quam mandatarii tollitur. Si vero negotium inceptum sine aperto detrimento heredum interrumpi nequeat, aut si mandatum etiam pro casu mortis mandantis scriptum sit, mandatario jus et obligatio est negotium perficiendi. morte;

§. 1023.

Mandata a persona morali (universitate) concessa vel accepta exspiratione communitatis cessant.

§. 1024.

Si concursus creditorum mandantis editur, omnes actus, quos mandatarius post publicatum concursum nomine cridatarii suscepit, invalidi sunt. Eodem modo publicatio concursus creditorum respectu patrimonii mandatarii ipso facto mandatum ei commissum tollit. aut concursu creditorum.

§. 1025.

Si mandatum revocatione, renunciatione, Quatenus

obligatio duret. aut morte mandantis vel mandatarii tollitur; negotia tamen moram non ferentia tamdiu continuanda sunt, donec a mandante aut ejus heredibus alia dispositio facta sit, aut saltem fieri potuerit.

§. 1026.

Pacta quoque cum tertio inita, qui exspirationem mandati citra culpam ignoravit, obligatoria manent, et mandans nonnisi a mandatario, qui cessationem mandati celavit, indemnitatem exigere potest.

§. 1027.

Mandatum tacitum pro mercede servientium.

Praescripta in hoc capite contenta applicanda quoque sunt ad dominos mercaturae, navis, tabernae mercatoriae aut alterius quaestus, qui administrationem factori, nautae, institori, aut aliis mandatariis committunt.

§. 1028.

Jura talium mandatariorum praecipue ex instrumento mandati, quale inter mercatores facultas subsignandi (firma) rite promulgata, judicanda sunt.

§. 1029.

Si mandatum scripto exaratum non fuit, ambitus ejus ex objecto, et natura negotii judicatur. Qui alteri administrationem com-

misit, de eo praesumitur, quod ipsi quoque facultatem dederit omnia ea faciendi, tam quae administratio ipsa exigit, quam quae ordinarie cum ea conjuncta sunt. (§. 1009.)

§. 1030.

Si dominus mercaturae aut opificii ministro suo aut tironi permittit, merces in taberna aut extra illam vendere; praesumitur, ipsos quoque potestatem habere solutum accipiendi et apochas exarandi.

§. 1031.

Potestas, merces nomine proprietarii vendendi, jus non complectitur ejus nomine merces emendi; nec vectoribus licet pretium mercium ipsis commissarum suscipere, aut debita in eas contrahere, nisi id diserte in litteris vecturae concessum fuerit.

§. 1032.

Heri et patresfamilias non obligantur id, quod eorum famulis aut aliis domesticis in illorum nomen creditum fuit, solvere. Qui credidit, in hujusmodi casibus mandatum probare debet.

§. 1033.

Si vero inter eum, cui creditum fuit, et

eum, qui credidit, liber introductus sit, cui res in fidem datae ordinarie inscribantur; praesumtio valet, eum, qui hunc librum adfert, potestate gaudere, mercem in fidem accipiendi.

§. 1034.

Mandatum judiciale et legale.

Jus tutorum et curatorum negotia pupillorum et curandorum administrandi nititur dispositione judicii, a quo constituti sunt. Patri et marito legibus tribuitur facultas proles et uxorem defendendi. Praescripta de hac materia loco debito continentur.

§. 1035.

Negotiorum gestio sine mandato.

Qui nec pacto expresso vel tacito, nec a judicio, nec lege facultatem obtinuit, de regula negotio alterius se immiscere nequit. Si hanc potestatem sibi arrogasset, de omnibus consectariis tenetur.

§. 1036.

in casu necessitatis;

Qui, licet proprio motu, negotium alienum avertendi damni imminentis causa gerit, ei negotii dominus sumtus necessarios et fini convenienter erogatos refundere obligatur, quamvis opera impensa sine ejus culpa successu caruerit. (§. 403.)

§. 1037.

Qui negotia aliena unice utilitatis alterius augendae causa suscepturus est, consensum illius requirat. Si negotiorum gestor hoc quidem praescriptum neglexit, sed negotium propriis suis sumtibus in utilitatem certam et praevalentem alterius gessit; is sumtus in illud impensos refundere obligatur. aut in alterius utilitatem;

§. 1038.

Si vero commodum praevalens ambiguum est; aut si negotiorum gestor proprio motu adeo magnas mutationes in re aliena suscepit, ut res ab altero in eum finem, in quem hucusque eam impendebat, applicari nequeat, hic ad refusionem impensarum non tenetur; immo exigere valet, ut negotiorum gestor propriis suis sumtibus rem in priorem statum restituat, aut, si hoc fieri nequit, ipsi plenam satisfactionem praestet.

§. 1039.

Qui negotium alienum sine mandato suscepit, tenetur illud ad finem usque continuare, et perinde ac mandatarius exactas rationes ejus reddere.

§. 1040.

altero invito.

Si quis contra voluntatem domini valide declaratam alieno negotio se immiscet, aut legitimum mandatarium ita se immiscendo in gestione negotii impedit; non solum damnum inde natum et lucrum cessans praestare tenetur, sed sumtus quoque erogatos, nisi in natura recipi possint, amittit.

§. 1041.

Impensio rei in utilitatem alterius.

Si extra negotiorum gestionem res in commodum alterius impensa fuit, domino eam in natura, aut, si hoc amplius fieri non potest, ejus valorem, quem tempore factae impensionis habuit, exigere fas est, licet utilitas postea evanuisset.

§. 1042.

Qui pro alio sumtus expendit, quos hic ex praescripto legis ipse erogare debuisset, jure gaudet refusionem eorum petendi.

§. 1043.

Si quis in casu necessitatis majoris damni a se aliisque avertendi causa res suas proprias pessumdedit; omnes, qui inde utilitatem habuerunt, ad indemnitatem ipsi praestandam contribuere pro rata obligantur. Applicatio

uberior hujus praescripti ad pericula maritima objectum est legum nauticarum.

§. 1044.

Contributio ad damnum bellicum compensandum secundum specialia praescripta ab instantiis politicis determinatur.

Caput XXIII.

De contractu permutationis.

§. 1045.

P rmutatio. Permutatio est contractus, quo res pro alia re in alterum transfertur. Traditio rei non quidem ad existentiam istius contractus, sed ad ejus adimpletionem et adquirendum dominium requiritur.

§. 1046.

Pecunia non est objectum contractus permutationis; aurum tamen et argentum tamquam merx, et signatum quoque aurum et argentum eatenus permutari valet, quatenus nummi nummis aliis, veluti aurei argenteis, aut minores majoribus commutandi sunt.

§. 1047.

Jura et obligationes permutantium. Permutantes vi pacti obligantur res permutatas secundum factam conventionem cum appertinentiis earum et omnibus accessoriis, justo tempore, loco debito et in eo statu, in

quo tempore initi contractus fuerunt, in liberam possessionem tradere et acceptare. Qui obligationi suae non satisfacit, alteri damnum et lucrum cessans praestare obligatur.

§. 1048.

in specie ratione periculi,

Si tempus, quo res tradenda sit, statutum est, et si interea aut rei specialis permutatae commercium interdicitur, aut si res casu penitus, vel tamen ultra dimidium valoris pessumdatur, permutatio pro non inita est habenda.

§. 1049.

Aliae intermedio tempore casu subsecutae deteriorationes rei et onera possessori detrimento sunt. Attamen si permutatio per aversionem facta est, acceptans fert interitum casualem singulorum individuorum, nisi tali modo totum ultra dimidium valoris diminutum fuerit.

§. 1050.

et commodorum ante traditionem perceptorum.

Possessori competunt commoda rei permutatae usque ad statutum traditionis tempus. Ab hoc tempore debentur simul cum accessione acceptanti, licet res nondum tradita sit.

§. 1051.

Si tempus traditionis determinatum non est, et si neutra pars culpae incusari potest;

praescripta supra dicta ob periculum et commoda (§§. 1048 — 1050.) ad terminum traditionis ipsius applicanda sunt, nisi aliter conventum fuerit.

§. 1052.

Qui traditionem exigere vult, aut obligationi suae jam satisfecerit, aut ad eam adimplendam paratus sit oportet.

Caput XXIV.

De contractu emtionis venditionis.

§. 1053.

Per contractum emtionis venditionis res pro certa quantitate pecuniae in alterum transfertur. Iste contractus aeque ac permutatio ad titulos pertinet dominium adquirendi. Ipsa adquisitio tantum traditione objecti emtionis venditionis peragitur. Ad traditionem usque venditor dominium retinet. Emtio venditio.

§. 1054.

Quomodo consensus emtoris et venditoris comparatus esse debeat, et quae res emi et vendi possint, secundum regulas contractuum in genere determinatur. Pretium in pecunia parata consistere, et nec indeterminatum, neque illegitimum esse debet. Requisita contractus emtionis venditionis.

§. 1055.

Si res partim erga pecuniam, partim erga alias res alienatur; contractus, prouti pretium Pretium debet: a) in pa-

rata pecunia consistere;

in pecunia plus aut minus, quam valor ordinarius rei datae efficit, pro emtione venditione aut pro permutatione, et si valor rei pretio in pecunia aequalis est, pro emtione venditione habetur.

§. 1056.

b) determinatum;

Emtor et venditor determinationem pretii etiam tertiae designatae personae committere possunt. Si haec intra tempus statutum nihil definit; aut si in eo casu, ubi terminus nullus conventus fuit, alterutra pars ante determinationem pretii recedere vult; contractus emtionis venditionis pro non inito habetur.

§. 1057.

Si determinatio pretii pluribus personis committitur, pluralitas votorum decidit. Si vota ita disparia emergunt, ut ne quidem vera pluralitas votorum obtineatur, emtio venditio pro non inita habenda est.

§. 1058.

Pretium quoque in alienatione precedenti conventum determinationi servire potest. Si pretium ordinarium nundinale pro norma acceptum fuit, pretium nundinale medium loci, ubi, et temporis, quo contractus adimplendus est, intelligitur.

§. 1059.

Taxa aliqua pro mercibus constituta, omne majus pretium illegitimum est, et emtori pro qualibet vel minima laesione indemnitatem in instantia politica postulare fas. c) et legitimum esse.

§. 1060.

Extra hunc casum emtio venditio tam ab emtore quam a venditore tantum ob laesionem ultra dimidium impugnari potest. (§§. 934. et 935.) Haec quaerela etiam locum habet, si determinatio pretii tertio commissa fuit.

§. 1061.

Venditor obligatur rem ad tempus traditionis usque sollicite custodire et eam emtori tradere, observatis praescriptis supra de permutatione (§. 1047.) statutis. Obligationes venditoris,

§. 1062.

Emtor vero obligatur, rem statim, aut tempore convento accipere, simul autem etiam pretium in pecunia parata solvere; secus venditor ipsi traditionem rei renuere potest. et emtoris,

§. 1063.

Si res emtori a venditore, quin pretium acceperit, traditur; res in fidem vendita est, et dominium ejus statim in emtorem transit.

§. 1064.

Periculum et commodum rei venditae.

Ratione periculi et utilitatum rei emtae quidem, sed nondum traditae, eadem principia valent, quae de permutatione statuta fuerunt. (§§. 1048—1051.)

§. 1065.

Emtio rei speratae.

Si res, quae adhuc sperantur, emuntur, dispositiones in capite de contractibus de re incerta factae applicandae sunt.

§. 1066.

Praescriptum generale.

Omnes in contractu emtionis venditionis occurentes casus, qui per leges expresse non deciduntur, secundum praescripta, in capitibus de pactis in genere, et de contractu permutationis in specie statuta, sunt dijudicandi.

§. 1067.

Particulares species, seu contractus adjectitii emtionis venditionis.

Particulares species seu contractus adjectitii emtionis venditionis sunt; pactum de retroëmendo; de retrovendendo; pactum protimiseos; emtio venditio ad experiendum; addictionis in diem; et contractus aestimatorius.

§. 1068.

Emtio venditio cum pacto de retroëmendo.

Jus, rem venditam iterum redimendi, jus de retroëmendo dicitur. Si hoc jus venditori in genere et sine propiori determinatione tri-

butum fuit, ex una parte res in statu non deteriorato; ex altera parte vero pretium solutum restituitur, et utilitas ex utraque parte intermedio tempore ex pecunia et re percepta erga se invicem compensatur.

§. 1069.

Si emtor rem ex suo meliorem reddidit; aut in ejus conservationem sumtus extraordinarios impendit, ipsi sicut bonae fidei possessori refusio debetur; ille vero quoque tenetur, si culpa ejus valor mutatus, aut traditio impossibilis reddita fuit.

§. 1070.

Pactum de retroëmendo tantum in rebus immobilibus locum habet, et venditori solummodo ad dies vitae competit. Jus suum nec in heredes, nec in alium transferre, et in detrimentum tertii eatenus tantum exercere potest, quatenus libris publicis inscriptum est.

§. 1071.

Iisdem limitationibus subest jus, ab emtore sibi reservatum, rem venditori retro iterum vendendi; et praescripta de pacto de retroëmendo statuta huc applicanda sunt. Sed si pactum de retrovendendo aut retroëmendo fictum, et proprie ad jus hypothecae aut con- Pactum de retrovendendo.

tractum mutui celandum adhibitum fuit, praescriptum §. 916. locum habet.

§. 1072.

Pactum protimiseos. Qui rem sub ea conditione vendit, ut emtor eam iterum venditurus ipsi illam reluendam offerat, jure protimiseos gaudet.

§. 1073.

Jus protimiseos de regula jus personale est. Ratione rerum immobilium per inscriptionem in libros publicos in jus reale mutari potest.

§. 1074.

Jus protimiseos nec tertio cedi, neque in heredes transferri potest.

§. 1075.

Qui hoc jure gaudet, res mobiles intra viginti quatuor horas; res immobiles vero intra triginta dies post factam oblationem reapse redimere obligatur. Hoc tempore elapso jus protimiseos exspirat.

§. 1076.

Jus protimiseos in casu subhastationis judicialis rei, hoc jure oneratae, alium effectum non habet, nisi eum, ut hoc jure gaudens, libris publicis inscriptus, ad subhastationem speciatim citandus sit.

§. 1077.

Qui jure rem redimendi gaudet, obligatur, nisi contrarium conventum sit, pretium integrum a tertio oblatum solvere. Si conditiones extra pretium ordinarium oblatas adimplere nequeat, et si nec aestimatione aequivalens earum determinari valeat, jus protimiseos exerceri non potest.

§. 1078.

Jus protimiseos ad alios alienandi modos sine speciali conventione extendi nequit.

§. 1079.

Si possessor jure protimiseos instructo reluitionem non obtulit, de omni damno tenetur. In casu, ubi jus protimiseos reale est; res alienata a tertio repeti potest, et hic secundum fidem suam bonam aut malam tractatur.

§. 1080.

In emtione venditione ad experiendum res emta ante solutionem pretii in dominium emtoris non transit. Emtor durante experientia tamquam commodatarius; elapso vero hoc tempore, emtio venditio ut sine conditione inita, et emtor pro domino rei emtae habetur. Emtio venditio ad experiendum.

§. 1081.

Si emtor pro re accepta pretium solvit, dominium ipsi statim competit; potest vero ante elapsum tempus experientiae ab emtione recedere.

§. 1082.

Si tempus experientiae conventione statutum non est, in rebus mobilibus trium dierum; in immobilibus autem unius anni esse intelligitur.

§. 1083.

Venditio cum pacto addictionis in diem.

Si emtio venditio cum ea reservatione initur, ut venditor, si intra determinatum tempus melior emtor se insinuaret, eum praeferendi jus habeat, efficacia contractus in casu, ubi res emta tradita non fuit, usque ad existentiam conditionis differtur.

§. 1084.

Si res emta tradita fuit, contractus emtionis venditionis initus quidem est, existente conditione vero iterum solvitur. Deficiente expressa determinatione temporis, terminus in emtione ad experiendum statutus, praesumitur.

§. 1085.

An novus emtor melior sit, a venditore dijudicatur, qui secundum emtorem, licet

etiam prior adhuc plus solvere vellet, praeferre potest. In casu resolutionis contractus commoda rei et pecuniae erga se invicem compensantur. Ratione meliorationum aut deteriorationum emtor bonae fidei possessori aequiparatur.

§. 1086.

Si quis rem suam mobilem alteri pro certo pretio vendendam tradit, ea conditione, ut acceptans intra statutum tempus aut pretium determinatum solvat, aut rem restituat; tradens ante elapsum tempus rem repetere nequit; acceptans vero obligatur post ejus effluxum pretium determinatum solvere. Contractus aestimatorius.

§. 1087.

Intra tempus a paciscentibus determinatum tradens dominus manet. Acceptans ipsi de damno culpa sua dato tenetur, et si res restituitur, ei illae expensae tantum refunduntur, quae tradenti utilitati sunt.

§. 1088.

Si res immobilis est; aut si pretium vel terminus solutionis determinata non sunt; acceptans tamquam mandatarius respicitur. Nunquam vero res vendenda alteri concredita

a tertio, qui eam ab illo bona fide accepit, repeti valet. (§. 367.)

§. 1089.

Etiam in venditionibus publicis praescripta de pactis in genere, et permutatione ac emtione venditione in specie statuta, de regula locum habent; nisi in hac lege, aut in codice judiciario speciales dispositiones de illis occurrant.

Caput XXV.

De contractu locationis conductionis, locatione conductione hereditaria et emphyteusi.

§. 1090.

Contractus, quo quis usum rei non fungibilis ad certum tempus et pro determinato pretio obtinet, locatio conductio in genere dicitur.

Contractus locationis conductionis.

§. 1091.

In contractu locationis conductionis distinguitur, an res in usum concessa sine ulteriori labore utilitatem praestet; vel an labore tantum et industria utilitas inde haberi possit; in priori casu contractus in germanico Miethvertrag, in altero Pachtvertrag vocatur. Si quando res utriusque generis simul in usum conceduntur, contractus secundum qualitatem rei principalis judicandus est.

I. Locatio conductio rei, quae sine labore; et rei, quae labore tantum impenso utilitatem praestat.

§. 1092.

Contractus locationis conductionis de iisdem objectis et eodem modo, ac contractus

Requisita.

emtionis venditionis, iniri valet. Merces in locatione conductione, si alio modo conventum non fuit, sicut pretium in emtione venditione, solvitur.

§. 1093.

Dominus tam res suas mobiles et immobiles, quam etiam jura locare valet; accidere vero quoque potest, ut usum rei suae propriae, si tertio competit, conducere debeat.

§. 1094.

Effectus.

Si paciscentes de essentia contractus, de re nimirum et mercede, convenerunt; contractus perfectus, et usus rei pro emto habendus est.

§. 1095.

Si contractus locationis conductionis libris publicis inscriptus est, jus conductoris pro jure reali respici debet, cujus exercitium etiam successor in possessione pro tempore adhuc restante pati tenetur.

§. 1096.

Jura mutua: 1) ratione traditionis, conservationis, usus;

Locatores obligantur rem locatam propriis sumtibus in tali statu, ut usus ejus possibilis sit, tradere et conservare, atque conductores in usu convento non turbare. Reparationes ordinarias aedificiorum oeconomico-

rum conductor rei, quae tantum labore impenso utilitatem praestat, eatenus tantum suis sumtibus fieri curare obligatur, quatenus ex materia e praedio obtenta, et operis, quas contemplatione praedii exigere valet, fieri possunt; reliquas locatori curandas indicare debet.

§. 1097.

Si conductor sumtus locatori incumbentes necessarios aut utiles in rem locatam erogavit; tamquam negotiorum gestor sine mandato consideratur (§. 1036.); attamen refusionem eorum ad summum intra sex menses post restitutionem rei locatae judicialiter petere tenetur, secus jus actionis cessavit.

§. 1098.

Conductores jure gaudent rebus conductis secundum conventionem initam per tempus determinatum utendi et inde utilitatem percipiendi, vel eas etiam sublocandi, si absque damno proprietarii fieri valet, aut in contractu expresse prohibitum non est.

§. 1099.

In locationibus rei, quae sine labore uti- a) onerum;
litatem praestat, locator omnia onera et tributa ferre obligatur. In locationibus rerum,

unde labore tantum et industria utilitas habetur, conductor, si per aversionem initae sunt, exceptis inscriptis oneribus hypothecariis, omnia reliqua onera suscipit; si vero locatio conductio ejusmodi rei secundum taxationem vel calculum initur, conductor illa onera fert, quae in detaxatione de utilitate subtracta sunt, aut stricte de fructibus, et non de ipso fundo praestari debent.

§. 1100.

3) mercedis. Extra casum specialis conventionis merces, si res ad unum vel plures annos conducitur, omni semestri; si vero ad tempus brevius conducta fuit, post hujus temporis decursum solvenda est.

§. 1101.

Ad securitatem mercedis locatori habitationis jus pignoris in res ad instructionem habitationis pertinentes et mobilia conductori aut subconductori propria, aut a tertio ipsis concredita (§. 367.), quae tempore actionis ibi adhuc existunt, competit. Subconductor pro ratione mercedis ab ipso solvendae tenetur, quin tamen exceptionem solutionis conductori principali in antecessum factae opponere valeat. Locatori praedii vero jus pignoris com-

petit in pecus et in utensilia ad rem oeconomicam destinata, nec non in fructus, quatenus istae res in praedio locato adhuc exstant.

§. 1102.

Locator sibi quidem stipulari potest; ut merces locationis conductionis in antecessum solvatur. Si vero conductor plus quam pro uno termino in antecessum solvit, talem in antecessum praestitam solutionem tantum in eo casu, ubi libris publicis inscripta est, creditoribus posterius intabulatis opponere valet.

§. 1103.

Merces fructibus constans.

Si dominus praedium suum ea conditione alteri in usum concedit, ut ille, cui conceditur, rem oeconomicam gerat, et tradenti partem fructuum relate ad omnem utilitatem determinatam, e. g. tertiam aut dimidiam tribuat, contractus talis non est locatio conductio, sed societas, quae secundum principia de ea statuta judicatur.

§. 1104.

Casus et conditiones remissionis mercedis.

Si res conducta ob casus extraordinarios, uti incendium, bellum, aut luem, ob magnas inundationes, tempestatum calamitates, aut plenam sterilitatem nullum plane usum aut utilitatem praestat; merces

locationis conductionis quoque nulla est solvenda.

§. 1105.

Si conductori usus rei conductae, quae sine ulteriori labore utilitatem praestat, tantum pro parte adimitur; pars quoque proportionata mercedis ipsi remittitur. Conductori rei, quae adhibito labore tantum utilitatem praestat, remissio mercedis competit, si per casus extraordinarios utilitas praedii, ad unum annum solummodo conducti, ultra dimidium proventuum ordinariorum diminuta fuit. Locator in hoc casu tantum remittere obligatur, quam per hunc defectum a mercede deest.

§. 1106.

Si conductor indeterminate omnia pericula in se suscepit, hoc tantum de calamitatibus incendii, inundationis et tempestatis intelligendum est. Aliae calamitates extraordinariae ab ipso non praestantur. Si vero expresse se obligat ad alia quoque infortunia extraordinaria ferenda, propterea nondum praesumitur, ipsum quoque de interitu casuali totius rei conductae obligatum esse velle.

§. 1107.

Si usus fructusve rei conductae non ob

damnum in ipsa re emergens aut inhabilitatem ejus aliunde exortam, sed ob impedimentum vel infortunium conductori superveniens evanescit; aut si tempore damni emergentis fructus a fundo jam separati fuerunt; casus adversus conductori soli nocet, et is mercedem nihilominus solvere obligatur.

§. 1108.

Si conductor rei, quae labore tantum adhibito utilitatem praestat, remissionem totius mercedis aut partis ejus vel ex pacto vel ex lege praetendit; locatori sine mora infortunium nunciare, et casum, nisi notorius sit, judicialiter, aut saltem per duos viros rei peritos examinari curare tenetur; hac cautela intermissa non auditur.

§. 1109.

Post finitum contractum locationis conductionis conductor rem secundum inventarium, siquod forte factum fuit, aut saltem in eo statu, in quo eam accepit; fundos vero conductos, in cultura oeconomica ordinaria anni tempori, quo locatio conductio finita est, convenienti restituere obligatur. Nec exceptio juris compensandi, nec juris dominii antiquioris ipsum a restitutione liberare potest. 4) restitutionis;

§. 1110.

Si in contractu locationis conductionis inventarium factum non est, eadem praesumtio, quemadmodum in usufructu (§. 518.) obtinet.

§. 1111.

Si res locata conducta damnum patitur, vel abusu deterior redditur, conductores tam culpam suam propriam, quam culpam subconductoris, non vero casum, praestant. Ast locatori haec praestatio ad summum intra unum annum post rem conductam restitutam judicialiter exigenda est, exspirante secus illius jure.

§. 1112.

5) Modi, quibus locatio conductio exspirat: a) rei interitu:

Contractus locationis conductionis per se exspirat, si res conducta perit. Si hoc culpa alterius partis accidit, alteri indemnitas competit; si casu accidit, neutra pars alteri quidpiam debet.

§. 1113.

b) temporis lapsu;

Contractus locationis conductionis etiam temporis lapsu exspirat, quod vel expresse vel tacite, aut per mercedem in certum terminum conventam, uti in habitationibus ad diem, hebdomadem, mensem conductis, aut

per intentionem conductoris declaratam, vel ex circumstantiis elucescentem determinatum fuit.

§. 1114.

Contractus locationis conductionis non solum expresse, sed tacite quoque renovari potest. Si in pacto renunciatio praemittenda conventa fuit; contractus intermissione debitae renunciationis tacite renovatur. Si renunciatio conventa non fuit, tacita fit renovatio, si conductor post tempus locationis conductionis praeterlapsum pergit re uti aut frui, ac locator facto huic acquiescit. Si nulla fit renovatio;

§. 1115.

Tacita renovatio contractus locationis conductionis fit sub iisdem conditionibus, sub quibus prius initus fuit. Attamen in locatione conductione rerum, quae nonnisi labore et industria impensis utilitatem praestant, ad unum annum; si vero utilitas ordinaria tantum intra longius tempus obtineri potest, in tempus, quod requiritur, ut commoda ordinaria una vice percipiantur, extenditur. Locationes conductiones rerum, quae sine labore utilitatem ferunt, et in quibus merces tantum post integrum aut dimidium annum solvi

solet, ad dimidium annum; omnes aliae vero ad brevius tempus initae ad illud tempus tacite renovantur, quod per priorem contractum locationis conductionis statutum fuit. De renovationibus reiteratis idem valet, quod hoc loco de renovatione prima vice facta praescriptum est.

§. 1116.

e) renunciatione;

In quantum tempus durationis contractus locationis conductionis nec expresse, nec tacite, nec specialibus praescriptis definitum est, ille, qui pactum terminare vult, alteri locationem conductionem rei, quae adhibito tantum labore utilitatem fert, sex mensibus; locationem conductionem rei, quae nullo impenso labore utilitatem praestat, si immobilis, quatuordecim diebus; et si mobilis est, viginti quatuor horis ante restitutionem faciendam renunciare tenetur.

§. 1117.

Conductori fas est, etiam ante decursum temporis expresse vel tacite conventi a pacto recedere, si res conducta propter defectus suos ad usum ordinarium inhabilis est; si pars considerabilis rei conductae casu usui pro longiori tempore subtrahitur, aut ad illum inha-

bilis redditur; aut si eam locator in statu ad usum idoneo non amplius conservat.

§. 1118.

Contra locator maturiorem dissolutionem pacti exigere potest, si conductor re insigniorem in modum abutitur; si interpellatus in solutione mercedis adeo morosus est, ut lapso termino mercedem adhuc restantem integram non solverit; aut si aedificium locatum de novo aedificari debet. Aedificationem utilem conductor in suum detrimentum pati non obligatur, contrarium sentiendum est de reparationibus necessariis.

§. 1119.

Si locatori rei, quae sine labore utilitatem praestat, necessitas novae aedificationis jam tempore initi contractus cognita esse debuit; aut si necessitas reparationum per longius tempus continuandarum ex intermissione minorum reparationum orta est; conductori pro usu, quo privatur, indemnitatem congruam competentem praestari oportet.

§. 1120.

Si dominus rem locatam alienaverit et adquirenti tradiderit; conductor, si jus ipsius libris publicis inscriptum non est (§. 1095.), d) rei alienatione.

post renunciationem rite factam novo possessori cedere tenetur. Jure autem gaudet a locatore ratione damni emergentis et lucri cessantis plenam satisfactionem exigendi.

§. 1121.

In casu necessariae judicialis alienationis conductor etiam tunc, quando ipsius jus tamquam reale inscriptum est, novo emtori cedere obligatur. Ratione indemnitatis tantum jus prioritatis, quod habet, ei salvum manet.

§. 1122.

II. Locatio conductio hereditaria.

Contractus, quo alicui dominium utile praedii hereditarie sub ea conditione conceditur, ut pro utilitate annua, annuam fructibus proportionatam praestationem in pecunia, fructibus, vel etiam servitiis convenientibus consistentem retribuat, locatio conductio hereditaria dicitur.

§. 1123.

III. Contractus emphyteuseos.

Si a possessore praedii exigua praestatio tantum in recognitionem dominii directi facienda est; praedium emphyteuticum dicitur, et pactum de eo initum contractus emphyteuseos.

§. 1124.

In dubio, an praedium hereditarie locatum conductum aut emphyteuticum sit, ad

quantitatem annuae praestationis, et alias obligationes susceptas respiciendum est. Si quantitas ista cum utilitate annua pura in nulla est proportione, dominium utile emphyteusis; si vero saltem ratione temporis antiqui et supposito, fundos penitus incultos susceptos fuisse, proportio intelligi potest, bonum hereditarie locatum censetur. (§. 359.)

§. 1125.

IV. Jus superficiei.

Si dominium ita divisum est, ut uni substantia fundi cum usu et fructu partis interioris, alteri parti vero tantum usus et fructus superficiei hereditario modo competat, census annuus, a posteriori hoc possessore solvendus, solarium dicitur.

§. 1126.

Adquisitio dominii utilis.

Dominium minus plenum rei immobilis quemadmodum dominium plenum sine inscriptione in libros aut registra publica adquiri non potest. Titulus validus tantum jus personale tribuit adversus personam obligatam, non vero jus reale adversus tertium. (§. 431.)

§. 1127.

Jura communia domini directi et utilis.

Jura domini directi et utilis in genere in eo congruunt, quod quilibet de sua parte ea-

tenus disponere possit, quatenus jura alterius non laeduntur. (§. 363.)

§. 1128.

Uterque jure gaudet partem suam judicialiter prosequendi, eam oppignorandi, et inter vivos aut per ultimam voluntatem alienandi. Limitationem asserenti probatio per instrumenta ad rem pertinentia, per sic dictas litteras investiturae, aut alia documenta perficienda incumbit.

§. 1129.

Jura et obligationes speciales domini directi.

Dominus directus in specie jure gaudet, domino utili non solum diminutionem rei in dominium utile concessae, sed etiam omnes mutationes interdicendi, quibus exercitium jurium ejus impediri, aut difficilius reddi posset.

§. 1130.

1) Respectu conservationis, culturae et mutationum praedii;

Exigere ergo potest, ut dominus utilis de conservatione et cultura fundorum sollicitus sit. Si adimpletionem harum obligationum, licet admonitus, negligit; aut si onera fundo inhaerentia ferre nequit; domino directo fas est exigere, ut praedium aliis conductoribus hereditariis vel emphyteuticis cedat.

§. 1131.

Jus praecipuum locatoris hereditarii aut domini emphyteuseos consistit in perceptione mercedis annuae aut aliarum praestationum conventarum, quae sub nullo praetextu augeri, a rebus mobilibus vero quibuscunque ad praedium non pertinentibus nullo modo exigi possunt.

2) mercedi hereditariae.

§. 1132.

Merces annua, si nihil aliud conventum aut per leges provinciales statutum est, prima dimidia parte mensis Novembris solvi debet.

Quando merces solvenda sit.

§. 1133.

De regula alter dominus minus plenus alteri casum non praestat; sed si conductor hereditarius inundatione, bello aut lue impeditus fuit e praedio conducto utilitatem percipere; ei pro tempore, quo illa caruit, remissio congrua mercedis concedenda est.

Quando remissio locum habeat.

§. 1134.

Emphyteuta ejusmodi remissionem postulare nequit, immo quamdiu aliqua pars praedii emphyteutici existit, canonem integrum praestare obligatur.

§. 1135.

Jus in casu protractae solutionis mercedis.

Si emphyteuta canonem tempore convento non solvit, dominus emphyteuseos exigere valet, ut commoda praedii condicantur et ipsi inde indemnitas praestetur.

§. 1136.

Locator hereditarius respectu mercedis ultra unum annum restantis jus optionis habet, aut fructus et alia commoda in pignus capiendi, aut subhastationem judicialem praedii hereditarie locati ad solutionem praestationum restantium exigendi.

§. 1137.

3) Respectu onerum et meliorationum.

Dominus directus obligatur dominum utilem respectu dominii utilis immediate a se obtenti defendere, et si jus in commoda cum jure in substantiam iterum conjungitur, ipsi aut ejus successoribus factas meliorationes, quemadmodum alii bonae fidei possessori refundere, et de certitudine librorum et registrorum publicorum, quae ratione bonorum dominio suo directo subjectorum gerit, cavere.

§. 1138.

De aliis a domino utili contractis et libris publicis non inscriptis oneribus dominus

directus non tenetur. Dominus utilis in genere majus jus in alium transferre non potest, quam ipse habet. Jus unius ergo exstinguitur resoluto jure alterius.

§. 1139.

Jura et obligationes domini utilis in genere respondent obligationibus et juribus domini directi modo statutis. Jura et obligationes domini utilis in genere.

§. 1140.

Dominus utilis ad alienationem consensu domini directi non eget; attamen ipsi, ut judicare possit, an successor praedium administrare et onera ei inhaerentia praestare valeat, successorem indicare obligatur. Jus protimiseos aut retractus domino directo non competit. In specie 1) ratione alienationis;

§. 1141.

Si vero dominus directus hunc consensum et ista jura expresse sibi reservavit, intra triginta dies post indicationem sibi rite factam voluntatem suam declarare obligatur. Post hunc terminum pro consentiente habetur. Praeter exercitium juris protimiseos aut retractus consensum solummodo ob periculum manifestum substantiae et jurium cum ea conjunctorum recusare potest.

§. 1142.

Tributum, quod dominus directus nonnunquam a domino utili novo exigere valet, vocatur, si mutatio inter vivos fit, laudemium; si vero mortis causa accidit, mortuarium. Utrumque etiam laudemium in genere nominatur. An et quomodo haec jura fundata sint, constitutio provinciae cujusque, libri et instrumenta publica, aut possessio quieta triginta annorum decidunt.

§. 1143.

2) respectu thesauri et imminutionis substantiae; Dominus utilis quoque obtinet partem proportionatam thesauri inventi. (§. 399.) Immo jure gaudet substantiam imminuendi, si domino directo probare potest, alio modo fundi usum institui non posse. (§. 1129).

§. 1144.

3) onerum; Dominus utilis ferre debet omnia praedio inhaerentia onera ordinaria et extraordinaria; solvit tributa, decimas et alios inscriptos census. Onera censum a domino utili solvendum concernentia dominus directus ferre tenetur.

§. 1145.

4) litterarum investiturae. Quilibet novus dominus utilis de regula obligatur curare, ut a domino directo litte-

ras fidem facientes, aut documentum renovati dominii utilis obtineat.

§. 1146.

Quae relationes praeterea inter dominos utiles et dominos directos existant, et quae jura et obligationes in specie inter dominos praediorum et eorum subditos obtineant, ex constitutione cujuslibet provinciae, et statutis politicis intelligendum est.

Relationes speciales inter praediorum dominos et subditos.

§. 1147.

Qui praeter solarium nihil praestat, tantum utilitatem ex superficie, uti: arboribus, plantis et aedificiis, et partem thesauri in ea inventi exigere potest. Thesauri defossi et alia commoda ex terra interiore pertinent exclusive ad dominum directum.

Jura ex censu solario.

§. 1148.

Quod de cessatione dominii pleni statutum est (§. 444.), in genere quoque valet de dominio minus pleno.

Cessatio dominii utilis.

§. 1149.

Praedia hereditarie locata et emphyteutica in omnes heredes, expresse non exceptos, transeunt. Si dominus utilis legitimo successore caret, dominium utile cum directo conjungitur. Ast dominus directus hoc jus exer-

citurus tenetur omnia debita domini utilis, quae ex alio patrimonio solvi nequeunt, expungere. In quantum dominus directus praedium caducum in alios transferre obligatus sit, constitutiones politicae determinant.

§. 1150.

Devastatione plantarum, arborum et aedificiorum dominium utile superficiei non perditur. Quamdiu adhuc pars fundi restat, possessor, modo censum debitum solverit, ei novas plantas, arbores et aedificia imponere potest.

Caput XXVI.

De contractibus onerosis circa praestationem operarum.

§. 1151.

Si quis ad praestationem servitiorum, aut confectionem operis erga certam mercedem in pecunia se obligat, locatio conductio operarum oritur.

1) Locatio conductio operarum.

§. 1152.

Quamprimum quis laborem aut opus fieri jubet, in mercedem quoque convenientem consensisse supponitur. Si merces nec conventione, nec lege statuta est, judex eam determinat.

Tacita operarum locatio conductio.

§. 1153.

Ob defectus essentiales, opus ad usum inhabile reddentes, aut expressae conventioni contrarios, ille, qui opus fie.i jussit, jure gaudet a contractu recedendi. Si ei hoc non placet, aut si defectus nec essentiales, nec ex-

Jura ex operarum locatione conductione orientia.

pressae conventioni contrarii sunt, dominus operis aut emendationem defectuum, aut indemnitatem convenientem petere, et in hunc finem partem proportionatam mercedis retinere potest.

§. 1154.

Si ille, cujus operae conductae sunt, culpa sua promissum intra tempus conditionis instar positum non adimplet; conductor operarum non obligatur amplius rem, quam fieri jussit, acceptare; immo propter damnum inde ortum indemnitatem exigere valet. Si vero conductor ratione solutionis mercedis in mora est; ipse quoque obligatur conductum penitus indemnem servare.

§. 1155.

Pro servitiis quoque et laboribus non peractis personae conductae indemnitas congrua debetur, si ad negotium perficiendum parata, et ab operarum conductore culpa aut casu, in ipsius persona obtinente, impedita fuit, aut generatim temporis dispendio damnum passa est.

§. 1156.

In regula merces finito labore debetur. Si vero labor certis terminis aut secundum

partes operis praestatur; aut si expensae cum eo conjunctae sunt, quas conductus in se non suscepit; facultas huic competit, partem mercedis servitio aut operi respondentem, et refusionem expensarum erogatarum, ante opus peractum aut penitus praestitum laborem exigendi.

§. 1157.

Si casu fortuito materia ad perficiendum opus parata, aut ipsum opus ex integro vel pro parte perit; damnum dominus materiae aut operis patitur. Si vero operarum conductor materiam ad fabricationem fini conformem manifeste inhabilem suppeditavit, operarum locator, si opus hac de causa defectuosum evadit, et ipse conductorem non admonuit, de damno responsabilis est.

§. 1158.

Quando conductio operis in contractum emtionis venditionis abeat.

In dubio, an opus jussum pro contractu emtionis venditionis, aut locationis conductionis operarum habendum sit, praesumitur, ab eo, qui materiam ad illud suppeditavit, fabrum conductum fuisse. Si vero operis faber materiam subministravit, emtio venditio praesumitur.

§. 1159.

Si operarum locationi conductioni pacta alia adjectitia conjuncta sunt, praescripta legalia unicuique eorum convenientia observari debent.

§. 1160.

Cessatio locationis conductionis operarum.

Illi, quorum operae ad definitum tempus, vel ad perficiendum certum opus conductae sunt, sine justa ratione ante tempus elapsum opusque perfectum nec laborem deserere, nec dimitti possunt. Si labor interrumpitur, utraque pars culpam suam, neutra vero casum praestat.

§. 1161.

Urgentibus tantum circumstantiis ille, cujus operae conductae sunt, aut operis magister negotium sibi delatum alteri confidere potest, et in ipso hoc casu de reatu in eligenda persona tenetur.

§. 1162.

Locatio conductio operarum, in quibus specialis dexteritatis personae ratio habita est, morte conducti tollitur, et heredes tantummodo pretium paratae materiae idoneae, et partem mercedis valori praestiti laboris convenientem exigere possunt. Si ille, qui opus

fieri jussit, moritur, ejus heredes pactum continuare obligantur, aut conductum indemnem servare.

§. 1163.

Haec praescripta extenduntur ad causarum patronos, medicos etc.

Praescripta hoc loco statuta valent quoque de causarum patronis, medicis et chirurgis, factoribus, provisoribus, artificibus, mercium procuratoribus et aliis personis, quae sibi pro operis suis salarium, pensionem annuam, aut aliam remunerationem expresse vel tacite stipulati sunt, nisi hac super re specialia praescripta existant.

§. 1164.

2) Contractus de divulgatione operis literarii.

Per pactum de divulgatione operis literarii ab auctore alicui jus tribuitur illud typis imprimendi et divendendi. Auctor hoc pacto juri renunciat, idem opus alteri ad divulgationem committendi.

§. 1165.

Jura et obligationes inter auctorem et librarium.

Auctor obligatur opus secundum conventionem perficere et tradere, et librarius statim post opus traditum conventam remunerationem solvere.

§. 1166.

Si opus ab auctore statuto tempore, aut modo convento non traditur, librarius a pac-

to recedere, et si confectio operis culpa auctoris intermittitur, indemnitatem exigere potest.

§. 1167.

Si numerus exemplarium determinatus fuit, librarius ad quamlibet novam editionem consensum auctoris requirere, et de conditionibus novam conventionem inire obligatur.

§. 1168.

Si auctor novam editionem cum mutationibus in argumento operis fieri vult, novum pactum contrahendum est. Ante divenditam editionem auctor tunc tantum novam instituendi jure gaudet, si librario respectu exemplarium restantium ad congruam indemnitatem praestandam paratus est.

§. 1169.

Jura auctoris ratione novae editionis in ejus heredes non transeunt.

§. 1170.

Si auctor secundum projectum sibi ab editore propositum opus conficiendum suscipit, praeter conventam remunerationem nihil exigere potest. Librario pro futuro jus pro arbitrio illud divulgandi competit.

§. 1171.

Haec praescripta etiam ad mappas geographicas, delineationes topographicas et compositiones musicas applicanda sunt. Limitationes reimpressionis libri alieni in legibus politicis continentur.

§. 1172.

3) Pactum inter heros et famulos vel ancillas.

Jura et obligationes inter heros et famulos vel ancillas in praescriptis specialiter hac de re statutis continentur.

§. 1173.

Alia pacta onerosa de servitiis inita.

Pacta, quibus promittitur res vel factum pro facto promisso, secundum principia de pactis onerosis in genere, et speciatim secundum regulas in hoc capite statutas dijudicanda sunt.

§. 1174.

Quod quis sciens pro efficiendo facto impossibili aut illicito dedit, amplius repetere nequit. In quantum fiscus id capiendi jure gaudeat, constitutiones politicae determinant. Quod vero ad impediendum actum illicitum illi, qui eum commissurus erat, datum fuit, repeti potest.

Caput XXVII.

De contractu communionis bonorum.

§. 1175.

Origo societatis quaestuariae. Notio.

Contractus, quo duae aut plures personae consentiunt, operas suas solummodo, vel etiam res suas communis utilitatis causa conferre, societas quaestuaria dicitur.

§. 1176.

Divisio.

Pro discrimine, an membra societatis singulas tantum res, aut quantitatem pecuniae, aut integrum genus rerum, e. g. omnes merces, omnes fructus, omnes res immobiles; aut demum integrum suum patrimonium sine exceptione in communionem adferant, etiam species societatum diversae sunt, et jura socialia plus minusve extenduntur.

§. 1177.

Etiamsi in contractu societatis totius pa-

trimonii mentio fiat, tamen praesens tantum intelligendum est. Si vero contractus societatis futurum quoque complectitur, illud tantum intelligitur, quod alio modo, quam titulo hereditatis adquiritur, nisi et hoc expressum fuisset.

§. 1178.

Forma ineundae societatis.

Contractus societatis, qui tantum praesens, vel futurum tantum patrimonium respiciunt, invalidi sunt, nisi bona ab una alteraque parte collata rite descripta, et consignata fuerint.

§. 1179.

Quomodo contractus societatis inter mercatores ineundus, registris hac de re gestis inscribendus, et publice notificandus sit, leges speciales mercantiles et politicae determinant. Si societas particularia tantum negotia concernit, sufficit, pactum desuper initum libris commercialibus inscribi.

§. 1180.

Pactum de communione totius tam praesentis quam futuri patrimonii, quod ordinarie tantum inter conjuges iniri solet, secundum praescripta in capite de pactis dotalibus de eo statuta, dijudicandum est. Praescripta

in hoc capite contenta ad reliquas species communionis bonorum pacto initae se referunt.

§. 1181.

Effectus contractus et factae collationis.

Contractus societatis quidem ad titulos dominium adquirendi pertinet; ipsa adquisitio vero, et communio bonorum aut rerum tantum traditione perficitur.

§. 1182.

Sors capitalis.

Quidquid expresse ad gerendum negotium commune destinatum fuit, sortem capitalem vel fundum societatis constituit. Reliquum, quod a quovis membro possidetur, tamquam bonum separatum consideratur.

§. 1183.

Si pecunia, res fungibiles, aut non fungibiles quidem, quarum valor tamen in pecunia determinatus est, conferuntur; non solum lucrum inde comparatum, sed sors quoque capitalis respectu membrorum, quae illam contribuerunt, tamquam res communis respici debent. Qui tantum operam suam in communem utilitatem impendere promittit, in partem quidem lucri, non vero in sortem capitalem jus habet. (§. 1192.)

§. 1184.

Jura et obligationes membrorum; collatio ad sortem capitalem (fundum).

Quilibet socius, nisi specialiter aliud conventum sit, obligatur parem cum caeteris portionem ad sortem capitalem communem conferre.

§. 1185.

Cooperatio.

In regula omnes socii tenentur, nulla ratione habita majoris aut minoris portionis ad sortem collatae, ad communem utilitatem aequali modo cooperari.

§. 1186.

Nullus socius facultate gaudet negotium ab ipso peragendum tertio committendi; aut quemquam in societatem adsciscendi; aut extraneum quodpiam negotium societati perniciosum suscipiendi.

§. 1187.

Obligationes sociales pacto exactius determinantur. Qui se tantum ad laborem obligavit, ad rem ullam conferendam non tenetur. Qui solummodo pecuniam, aut aliam rem contribuere promisit, ei nec obligatio nec jus est, alio modo ad quaestum communem cooperandi.

§. 1188.

In deliberatione et decisione de rebus so-

cietatem spectantibus, nisi aliud conventum fuerit, praescripta in capite de condominio statuta applicanda sunt. (§§. 833—842.)

§. 1189.

Adnumeratio ad sortem capitalem.

Socii ad plus, quam promiserunt, contribuendum cogi nequeunt. Si vero propter mutatas circumstantias sine contributione aucta finis communis plane obtineri non posset, socius illam recusans e societate excedere, aut removeri potest.

§. 1190.

Gestio negotiorum commissorum.

Socius vel socii, quibus gestio negotiorum committitur, tamquam mandatarii respiciuntur. Ad eorum quoque deliberationes et decisiones de rebus societatem spectantibus praescripta supra (§§. 833 — 842.) statuta applicanda sunt.

§. 1191.

Obligatio propter damnum.

Quodlibet membrum de damno tenetur, quod societati culpa sua dedit. Tale damnum cum utilitate, quam alio modo societati comparavit, compensari nequit. Quodsi vero socius negotio aliquo novo, proprio marte suscepto, societati ex una parte damnum, ex altera vero utilitatem pepererit; compensatio pro rata locum habeto.

§. 1192.

Distributio lucri.

Quod deductis omnibus expensis et detrimentis ultra sortem capitalem remanet, est lucrum. Ipsa sors capitalis in dominio eorum manet, qui ad illam contribuerunt, nisi valor operarum sorti capitali adnumeratus et totum tamquam commune bonum declaratum fuisset.

§. 1193.

Lucrum illud pro rata portionum sortis capitalis collatarum distribuitur, et operae ab omnibus sociis praestitae inter se invicem compensantur. Si unus aut aliqui socii tantum operas praestant, aut praeter portionem sortis capitalis simul operas conferunt; a judicio pro ejusmodi operis, si nihil conventum est, nec sociorum consensus obtineri potest, portio competens lucri, ratione habita gravitatis negotii, laboris in illud impensi, et utilitatis eo comparatae determinatur.

§. 1194.

Si lucrum non in pecunia parata, sed in aliis speciebus commodorum consistit, distributio instituitur secundum praescriptum in capite de condominio contentum. (§§. 840—843.)

§. 1195.

Integrum est societati, socio alicui ob peculiares ejus dotes, aut singulares operas majus lucrum, quam ipsi secundum contributionem ejus competeret, concedere; modo tales exceptiones non in illegitimas conventiones aut reliquorum praejudicia degenerent.

§. 1196.

Ejusmodi illegitima conventio est pactum, quo aliquis ratione sortis capitalis collatae ex una parte se contra omne periculum detrimenti, tam respectu ipsius sortis, quam usurarum securum, et ab omni cooperatione liberum reddit; ex altera parte vero tamen sibi lucrum, licitas conventionales usuras excedens, stipulatur.

§. 1197.

Divisio detrimenti;

Si societas fundum omnem collatum penitus aut ex parte amisit, damnum in eadem ratione dividitur, qua in casu contrario lucrum distributum fuisset. Qui ad sortem capitalem nihil contulit, operarum suarum jacturam patitur.

§. 1198.

Redditio rationum.

Socii, quibus administratio patrimonii societatis commissa est, obligantur de sorte

communi capitali atque de receptionibus et expensis eo pertinentibus rite rationes gerere et reddere.

§. 1199.

Rationes finales et distributio lucri vel detrimenti ante finitum negotium exigi nequeunt. Si vero negotia geruntur, quae per plures annos durant et annuam utilitatem ferre debent; socii, modo negotium principale propterea detrimentum non patiatur, postulare possunt, ut annue rationes reddantur et lucrum distribuatur. Caeterum cuilibet socio fas est, quandocunque suis sumtibus rationum inspectionem sibi procurare.

§. 1200.

Qui soli propositae rationum exaequationi (bilanciae) acquievit, vel etiam juri suo rationes exigendi renunciavit; tam respectu casus praeteriti quam pro omnibus futuris casibus rationes completas postulare potest, si dolum, licet tantum in una parte administrationis commissum, probaverit.

§. 1201.

Sine expresso vel tacito legitimo sociorum vel eorum mandatariorum consensu societas tertio obligari nequit. Apud merca- Relatio erga extraneos

tores sola facultas notificata uni aut pluribus sociis tributa, firmam, uti vocant, gerendi, hoc est, omnibus documentis et scripturis nomine societatis subscribendi, omnium mandatum in se continet. (§. 1028.)

§. 1202.

Socius, qui tantum cum parte patrimonii sui societati adjunctus est, patrimonium a communi separatum possidere potest, de quo ipsi jus est pro arbitrio disponendi. Jura ergo et obligationes tertii erga societatem, a juribus et obligationibus erga singulos socios distinguenda sunt.

§. 1203.

Quod ergo aliquis ab uno sociorum, et non a societate integra exigere potest aut uni debet, ab hoc tantum socio, et non ab integra societate exigere, et illi soli, non etiam huic, solvere potest. Eadem ratione vero in creditis et debitis totius societatis quilibet socius tantum pro sua parte ad solutionem jus habet aut obligatur, excepto casu, apud mercatores praesumendo, in quo omnes pro uno et unus pro omnibus aliquid promisit vel promissum acceptavit.

§. 1204.

Membra clandestina societatis mercantilis, ea nimirum, quae ipsi partem fundi concredidere, ut lucri et damni participia fierent, sed tamquam membra publice declarata non sunt, nunquam magis, quam quoad sortem illatam obligantur. Membra publice declarata integro suo patrimonio tenentur.

§. 1205.

Dissolutio societatis et discessus ex ea.

Societas ipso facto solvitur, si susceptum negotium finitum est; aut amplius continuari nequit; si integra sors capitalis communis interiit; aut si tempus societati statutum elapsum est.

§. 1206.

Jura et obligationes sociales de regula ad heredes socii non transeunt; hi tamen, si cum ipsis societas non continuatur, jure gaudent exigendi, ut rationes ad mortem usque testatoris reddantur et ex eis satisfactio praestetur. Ipsis vero quoque in casu opposito obligatio incumbit rationes reddendi et satisfactionem praestandi.

§. 1207.

Societas tantum duabus personis constans morte alterutrius exspirat. Si pluribus con-

stat, de reliquis sociis praesumitur, ipsos adhuc societatem inter se continuare velle. Haec praesumtio in genere quoque de heredibus mercatorum valet.

§. 1208.

Si contractus societatis, ab aliis quam a mercatoribus initus, expresse eorum heredes quoque complectitur, isti, si hereditatem adeunt, obligantur, voluntati testatoris satisfacere; sed in heredes heredum haec voluntas non extenditur; multo minus ad societatem perpetuam constituendam efficax est. (§. 832.)

§. 1209.

Heres adimplendis officiis, a defuncto pro societate susceptis, impar detractionem pro rata de portione ipsi competenti pati debet.

§. 1210.

Si socius quispiam conditiones essentiales pacti non adimplet; si de ipsius bonis concursus publicatur; si tamquam prodigus judicialiter declaratur, aut in genere si curatelae subjicitur; si ob crimen fiduciam perdit; ante tempus e societate excludi potest.

§. 1211.

Contractus societatis ante lapsum tempo-

ris renunciari potest, si ille socius, a quo negotii gestio praecipue pendebat, mortuus aut e societate egressus est.

§. 1212.

Si tempus durationis societatis nec expresse definitum est, nec ex negotii natura determinari valet; cuilibet socio licet contractui pro arbitrio renunciare; modo id non fiat dolose aut intempestive. (§. 830.)

§. 1213.

Effectus impugnatae quidem, sed postea pro justa declaratae exclusionis aut renunciationis ad diem, ubi alterutra facta est, retrahuntur.

§. 1214.

Dissolutio societatis mercantilis; susceptio et recessus membrorum ipsius publicorum eodem modo, ac ejus constitutio, publicanda sunt. Ex hac publicatione etiam vis et duratio mandatorum judicatur.

§. 1215.

In divisione patrimonii socialis post dissolutionem societatis instituenda praeter determinationes supra factas eadem praescripta observanda sunt, quae in capite de condominio

Divisio patrimonii societatis.

respectu divisionis rei communis in genere statuta fuerunt.

§. 1216.

Praescripta in hoc capite contenta etiam ad societates mercantiles applicanda sunt, in quantum de iis specialia praescripta non existunt.

Caput XXVIII.

De pactis dotalibus.

§. 1217.

Pacta dotalia vocantur illi contractus, qui de patrimonio ratione conjunctionis matrimonialis ineuntur, et praecipue dotem; contradotem; morganaticam; bonorum communionem; administrationem et usumfructum patrimonii proprii; successionem, aut usumfructum patrimonii ad dies vitae mortis causa constitutum; et vidualitium pro objecto habent. Pacta dotalia.

§. 1218.

Nomine dotis intelligitur illud patrimonium, quod ab uxore, aut a tertio nomine illius, marito ad ferenda onera cum societate conjugali conjuncta datur aut promittitur. 1) Dos.

§. 1219.

Si sponsa proprium habet patrimonium et majorennis est, ab ipsa et a sponso dependet, quomodo respectu dotis et aliarum mu- Ejus constitutio;

tuarum praestationum convenire velint. Si vero sponsa adhuc minorennis est, contractus a patre vel tutore cum consensu judicii pupillaris iniri debet.

§. 1220.

Sponsa proprium ad congruam dotem sufficiens patrimonium non possidente, parentes vel avi aviaeque eo ordine, quo liberos sustentare et collocare obligantur, filiabus aut nepotibus matrimonium ineuntibus dotem conditioni suae et patrimonio convenientem constituere tenentur, aut ad eam constituendam pro rata contribuere. (§. 141 et 143.) Filia illegitima a matre sua duntaxat dotem postulare valet.

§. 1221.

Si parentes vel avi aviaeque se constituendae doti congruae impares esse praetendunt, judicium ad requisitionem sponsorum, attamen absque stricta inquisitione in patrimonii statum, circumstantias examinet, et hoc facto dotem convenientem vel determinet, vel parentes et avos aviasque ab ea solvenda liberet.

§. 1222.

Si filia insciis aut invitis parentibus suis

matrimonium iniit, et judicium causam dissensus justam reperit, parentes necque in eo casu, dum postea matrimonium ratum habent, ad dotem illi dandam obligantur.

§. 1223.

Filiae, quae dotem jam obtentam, quamvis sine culpa sua perdidit, jus amplius non est, etiamsi secundum matrimonium ineat, novam petendi.

§. 1224.

In dubio, an dos e patrimonio parentum vel sponsae constituta fuerit, posterius praesumitur. Dos vero a parentibus filiae suae minorenni sine consensu instantiae pupillaris numerata, e proprio eorum patrimonio data praesumitur.

§. 1225.

Maritus, ante initum matrimonium dotem sibi non stipulatus, jure ullam postulandi destituitur. Traditio dotis conventae, si aliud tempus statutum non est, statim post matrimonium contractum exigi potest. Traditio,

§. 1226.

Super patrimonium mariti concursu publicato, ipsius ante publicationem concursus scripto vel oraliter facta declaratio, quod do- et ejus probatio.

tem acceperit, contra quemlibet probationem efficit. Contestatio vero ipsius primo post publicatum concursum subsecuta contra creditores vim probandi habet nullam.

§. 1227.

Quid in dotem dari possit; jura mariti et uxoris ratione ejus.

Quidquid alienari aut usui esse potest, in dotem dari valet. Quamdiu societas conjugalis continuatur, ususfructus dotis, et ejus incrementi, ad maritum pertinet. Si dos parata pecunia, creditis cessis aut rebus fungibilibus constat, dominium illius plenum ipsi competit.

§. 1228.

Si dos in rebus immobilibus, juribus, aut rebus mobilibus, quae salva substantia utilitatem ferunt, consistit; uxor tamdiu pro domina et maritus pro usufructuario ejus habetur, donec probatur, maritum dotem pro pretio determinato accepisse, et se tantum ad restitutionem aestimationis obligasse.

§. 1229.

Legis dispositione dos post mortem mariti ejus uxori, et, hac ante ipsum mortua, heredibus uxoris cedit. Ut ipsa aut ejus heredes a dote excludantur, hoc expresse statutum sit oportet. Dotem voluntarie consti-

tuens sibi stipulari potest, ut post mortem mariti ad ipsum revertatur.

§. 1230.

Quod sponsus aut tertius sponsae ad augendam dotem constituit, contrados vocatur. Contradotis quidem uxori durante matrimonio ususfructus non est, ast marito suo superstes, etiam absque expressa conventione, liberum ejus dominium nanciscitur, etiamsi marito pro casu, quo ille superstes esset, dos promissa non fuisset. 2) Contrados.

§. 1231.

Nec sponsus, nec ejus parentes obligantur contradotem constituere. Quemadmodum vero parentes sponsae obligantur ipsi dotem constituere, ita etiam parentibus sponsi incumbit, huic, quod ad instructionem rei familiaris requiritur, modo patrimonio eorum convenienti tribuere. (§. 1220 — 1223.)

§. 1232.

Donum, quod maritus uxori suae primo post nuptias die, dare promittit, morganatica dicitur. Si promissa fuit, in dubio praesumitur, eam intra primos tres annos matrimonii jam traditam fuisse. 3) Morganatica.

§. 1233.

4) Communio bonorum

Conjunctio conjugalis sola communionem bonorum inter conjuges non constituit. Ut existat, speciale pactum requiritur, cujus vis et forma juridica secundum §. 1177 et 1178 praecedentis capitis dijudicatur.

§. 1234.

Communio bonorum inter conjuges de regula tantum pro casu mortis intelligitur, tribuitque conjugi jus ad dimidium eorum bonorum communioni mutuo subjectorum, quae post mortem alterius conjugis superfuerint.

§. 1235.

In communione bonorum, integrum patrimonium concernente, ante divisionem omnia debita sine exceptione; in communione vero, quae tantum praesens, aut futurum tantum patrimonium pro objecto habet, illa debita solummodo detrahenda sunt, quae in utilitatem bonorum communium impensa fuere.

§. 1236.

Si, alterutro conjuge rem immobilem possidente, jus alterius conjugis ad communionem libris publicis inscribitur; posterior facta inscriptione jus reale ad dimidiam par-

tem substantiae praedii obtinet, vi cujus conjux alter de hac dimidia parte disponere non potest; in fructus vero et commoda durante matrimonio intabulatione jus nullum adquirit. Post mortem alterius conjugis alter superstes statim liberum dominium portionis suae adipiscitur. Attamen talis intabulatio creditoribus in praedio prius intabulatis praejudicare nequit.

§. 1237.

5) Administratio et ususfructus patrimonii originarii aut adquisiti.

Si conjuges de patrimonio suo specialem conventionem non iniverunt, cuilibet dominium prius ipsi competens manet, et ad id, quod quaelibet pars durante matrimonio quocunque modo adquirit, alteri jus nullum est. In dubio praesumitur, acquestum esse a marito factum.

§. 1238.

Quamdiu uxor non contradicit, in jure praesumtio valet, ipsam marito tamquam legitimo suo defensori administrationem liberi sui patrimonii concessisse.

§. 1239.

Maritus quidem in genere ratione talis administrationis tamquam alius mandatarius respicitur, verum tamen nonnisi pro rei substantia aut sorte capitali cavet. De utilitate

durante administratione percepta rationes reddere non obligatur, nisi expresse conventum fuisset; hae potius ad diem finitae administrationis usque pro approbatis habentur.

§. 1240.

Neque uxor obligatur de usufructu marito suo cesso, ast durante matrimonio ab ipsa percepto, rationes reddere; conjugibus vero liberum est, hujusmodi tacite concessas administrationes inhibere.

§. 1241.

Re urgente, aut existente damni periculo, marito administratio patrimonii, licet ipsi expresse et in perpetuum concessa, adimi potest. E contrario ipsi quoque jus est malae bonorum administrationi uxoris limites ponendi et efficiendi, ut observatis legum praescriptis prodiga declaretur.

§. 1242.

6) Vidualitium: Id, quod uxori pro casu viduitatis ad sustentationem destinatur, vidualitium vocatur. Hoc viduae statim post mortem mariti debetur, et semper pro tribus mensibus in antecessum praestandum est.

§. 1243.

Cuilibet viduae post mortem mariti ad-

huc per sex hebdomades, et, si gravida est, usque ad decursum sex hebdomadum post partum, ordinaria sustentatio ex hereditate debetur. Quamdiu autem hac sustentatione fruitur, vidualitium percipere nequit.

§. 1244.

Si vidua aliud matrimonium contrahit, jus ad vidualitium amittit.

§. 1245.

Cautio de dote, contradote et vidualitio.

Dotem danti facultas est, in ipsa traditione, aut posterius periculo emergente, ab eo, qui dotem accipit, convenientem cautionem exigendi. Tutores et curatores sponsae sub tutela vel curatela existentis cautionem ob securitatem dotis, ut et conventae contradotis et vidualitii, sine consensu judicii tutorii remittere nequeunt.

§. 1246.

Donationes inter conjuges vel sponsos;

Valor aut invaliditas donationum inter conjuges secundum leges de donationibus in genere vigentes judicatur.

§. 1247.

Ornatus, gemmae et alia pretiosa ad ornandam personam destinata, quae maritus uxori suae dedit, in dubio non pro commodatis, sed pro donatis habentur. Si vero pars

desponsata alteri parti desponsatae, vel etiam tertius alterutri earum, contemplatione futuri matrimonii, aliquid promittit vel donat; donatio, matrimonio absque culpa donantis non subsecuto, revocari potest.

§. 1248.

Testamenta mutua.

Conjugibus permissum est in eodem testamento se invicem, vel etiam alias personas heredes instituere. Tale quoque testamentum revocari potest, sed ex revocatione unius ad revocationem alterius partis concludi nequit (§. 583).

§. 1249.

Pacta successoria. Requisita ad validitatem pacti successorii.

Inter conjuges quoque pactum successorium, quo hereditas futura illiusve pars promittitur et promissum acceptatur, iniri potest. (§. 602.) Attamen ad validitatem hujusmodi pacti requiritur, ut scripto cum omnibus requisitis testamenti scripti ineatur.

§. 1250.

Potest quidem conjux sub tutela vel curatela existens hereditatem sibi promissam innoxiam acceptare; sed illius dispositio de propria hereditate sine approbotione judicii eatenus tantum subsistere valet; quatenus validum testamentum constituit.

§. 1251.

Praescriptum de conditionibus adjectis.

Quod de conditionibus pactorum generatim dictum fuit, ad pacta quoque successoria inter conjuges applicandum est.

§. 1252.

Effectus pacti successorii.

Pactum successorium, licet libris publicis inscriptum, conjugem non impedit de patrimonio suo, quoad vivit, pro libitu disponere. Jus inde oriens mortem testatoris supponit; et ab herede pactitio, si testatori non supervivit, nec ad alios transferri, nec propter futuram hereditatem cautio exigi potest.

§. 1253.

Per pactum successorium conjux juri testandi penitus renunciare non potest; sed quarta pars pura, quae nec portione legitima alicui competente, nec alio debito onerari potest, ex praescripto legum liberae ultimae voluntatis dispositioni semper reservanda est. Si testator de hac parte non disposuit, tamen non heredi ex pacto licet ipsi integra hereditas promissa fuisset, sed heredibus legitimis cedit.

§. 1254.

Cessatio ejus.

Pactum successorium in praejudicium alterius conjugis, quicum initum fuit, revocari

nequit; sed tantum secundum praescriptum legum effectu destitui potest. Heredum necessariorum jura contra pactum successorium, quemadmodum contra aliam ultimae voluntatis dispositionem integra manent.

§. 1255.

Ususfructus pro casu mortis, (jus advitalitium).

Si alteruter conjux alteri usumfructum patrimonii sui pro casu superviventiae tribuit, hoc facto in libera dispositione per actus inter vivos non limitatur; jus ususfructus (§. 509—520.) spectat tantum hereditatem, quae libere in heredes transferri potest.

§. 1256.

Usufructui vero rei immobilis cum consensu concedentis libris publicis intabulato, ratione hujus praedii praejudicari amplius nequit.

§. 1257.

In casu, quo pars superstes novum matrimonium init, aut usumfructum alteri cedere vult, liberi conjugis defuncti jure gaudent exigendi, ut ususfructus ipsis pretio convenienti annue solvendo cedatur.

§. 1258.

Conjugi, usumfructum totius hereditatis alterius conjugis, aut partem ejus petenti, jus non est, praeterea portionem a lege pro

casu legitimae successionis determinatam exigendi. (§. 757 — 759.)

§. 1259.

Unio prolium, id est, pactum, quo liberis ex diversis matrimoniis pro casu successionis in hereditatem aequalia jura tribuuntur, effectum in jure nullum habet. Unio prolium

§. 1260.

Si vivente marito de ipsius patrimonio concursus creditorum edicitur, uxori quidem contra creditores jus nondum competit restitutionem dotis et contradotis traditionem, sed tantum cautionem pro casu dissolutionis matrimonii petendi. Sed praeterea facultate gaudet usumfructum vidualitii, et si nullum sibi stipulata est, usumfructum dotis a tempore concursus publicati postulandi. Haec autem facultas alterutrius usumfructum postulandi locum non habet, dum probatur, uxorem jacturae fortunarum mariti causam exstitisse. Separatio patrimonii in casu: 1) concursus creditorum;

§. 1261.

Si de patrimonio uxoris concursus exoritur, pacta dotalia inconcussa manent.

§. 1262.

Communio bonorum inter conjuges, concursu de patrimonio alterutrius exorto cessat,

et patrimonium ipsis commune eadem ratione quemadmodum in casu mortis dividitur.

§. 1263.

2) voluntariae;

Si conjuges de separatione convenerunt, ab ipsorum quoque conventione semper simul ineunda dependet, (§§. 103 — 105.) an pacta eorum dotalia porro integra valere, aut qua ratione immutari debeant.

§. 1264.

aut 3) judicialis separationis;

Separatione vero per sententiam judicis decreta, et neutra aut utraque parte culpam separationis gerente, alterutri conjugi postulandi jus est, ut pacta dotalia pro sublatis declarentur, qua de causa judicio semper transactionem tentare incumbit. (§. 108.) Quodsi alterutra pars innocens sit, poterit continuationem aut sublationem pactorum dotalium, vel pro re nata convenientem sustentationem exigere.

§. 1265.

4) nullitatis declarationis;

Si matrimonium nullum declaratur, etiam pacta dotalia irrita fiunt, patrimonium, quatenus exstat, in pristinum statum restituitur. Reus vero parti innocenti indemnitatem debet. (§. 102.)

§. 1266.

5) dissolutionis matrimonii.

Si dissolutio matrimonii (§§. 115 — 133.)

ad utriusque conjugis petitionem, odii invincibilis causa, conceditur, pacta dotalia, quatenus hac de re transactio inita non est (§. 117.), pro utraque parte exspirant. Si dissolutio matrimonii per sententiam judicis decernitur, conjugi innocenti non solum plena satisfactio, sed a tempore decretae solutionis omnia ea debentur, quae in pactis dotalibus ipsi pro casu superviventiae promissa sunt. Bona communia eadem ratione, quemadmodum in casu mortis, dividuntur, et jus ex pacto successorio parti innocenti pro casu mortis salvum manet. Ad successionem vero ab intestato (§§. 757—759.) post matrimonium dissolutum conjugi, licet innocens sit, jus nullum est.

Caput XXIX.

De contractibus de re incerta.

§. 1267.

Contractus de re incerta.

Pactum, quo spes commodi adhuc incerti promittitur et acceptatur, contractus de re incerta dicitur, qui pro discrimine, an pro hac spe aliquid promittatur necne, ad contractus onerosos vel gratuitos pertinet.

§. 1268.

In contractibus de re incerta juris remedio ob laesionem ultra dimidium valoris locus non datur.

§. 1269.

Species contractuum de re incerta.

Contractus de re incerta sunt: sponsio, lusus et sortitio, omnes de juribus speratis, aut de futuris adhuc incertis rebus initi emtionis venditionis vel alii contractus, porro contractus de reditu annuo vitali, societates sustentationis gratia initae, demum contractus assecurationis et bodmeriae.

§. 1270.

Si ratione eventus utrique parti adhuc ignoti certum pretium a contrahentibus statuitur, illi pendendum, cujus assertionem exitus confirmaverit, sponsio existit. Si pars lucrans eventus certa erat, et hanc certitudinem alteri parti occultabat, dolum committit, et sponsio invalida est. Pars vero sponsionem perdens, cui eventus prius innotuit, donantis instar est habenda. 1) sponsio;

§. 1271.

Sponsiones bona fide initae et de caetero licitae obligant, quatenus pretium conventum non solum promissum, sed reapse solutum aut depositum fuit. Judicialiter pretium exigi nequit.

§. 1272.

Quilibet lusus est species sponsionis. Quare jura de sponsionibus statuta de lusibus quoque valent. Qui lusus in genere, aut hominibus certae conditionis prohibiti sint; quomodo personae lusus prohibitos ludentes, aut eos ludentibus perfugium praebentes puniendae sint, legibus politicis cautum est. 2) Usus;

§. 1273.

Sortitio inter personas privatas sponsionem aut lusum pro fine habens secundum 3) sortitio;

praescripta de sponsionibus et lusibus statuta judicatur. Si vero divisio, optio, aut lis per sortem decidenda est, sortitio jura reliquorum pactorum obtinet.

§. 1274.

Lotteriae a civitate institutae non secundum naturam sponsionis et lusus, sed secundum descriptiones earum qualibet vice publicatas dijudicandae sunt.

§. 1275.

4) emtio venditio spei;

Qui pro determinata quantitate fructuum futurorum pretium conveniens promittit, ordinarium contractum emtionis venditionis init.

§. 1276.

Fructus futuros alicujus rei per aversionem, aut spem eorum pretio determinato emens init contractum de re incerta; emtor in hoc casu fert periculum spei penitus frustratae, sed et omnem ordinariam utilitatem e re percipit.

§. 1277.

in specie cuxae;

Portio ex fodina alicui competens cuxa nominatur. Emtio venditio cuxae ad contractus de re incerta pertinet. Vendens tantum de veritate cuxae cavet, et emtor legibus de exercendis fodinis latis obnoxius est.

§. 1278.

Emtor hereditatis a venditore aditae, aut ipsi saltem delatae, non solum in jura, sed etiam in obligationes venditoris, qua heredis succedit, in quantum ad personam restricta non sunt. Ejusmodi emtio negotium incerti eventus est, nisi secundum inventarium inita sit. aut hereditatis.

§. 1279.

Res, quae venditori non titulo hereditatis, sed ex alio fundamento, e. g. titulo praelegati, fideicommissi, substitutionis, crediti, ex hereditate debentur, et ipsi quoque, etiamsi heres non fuisset, competiissent, emtor hereditatis petere nequit. E contra ei omne id cedit, quod hereditati, vel deficiente legatario, aut coherede, vel alio quocunque modo adcrescit, in quantum venditor ad illud jus habuisset.

§. 1280.

Omnia, quae heres jure hereditario obtinet, uti e. g. fructus percepti et credita, ad massam pertinent; omnia vero, quae ex suo in hereditatis aditionem, aut in massam hereditariam impendit, de ea detrahuntur. Eo pertinent debita soluta, legata jam praestita, tributa et taxae judiciales, et, nisi expresse

alio modo conventum sit, sumtus quoque in funus erogati.

§. 1281.

Venditor, si hereditatem ante traditionem administravit, emtori sicut alius mandatarius tenetur.

§. 1282.

Creditores vero hereditatis et legatarii satisfactionem suam tam ab emtore hereditatis, quam ab ipso herede exigere possunt. Ipsorum jura, quemadmodum etiam jura debitorum hereditatis, per venditionem ejus non mutantur, et aditio hereditatis alterutrius pro altero quoque valet.

§. 1283.

Si in venditione hereditatis inventarium pro basi sumtum fuit, venditor res in illo contentas praestat. Si emtio venditio absque tali consignatione inita fuit, venditor de veritate juris hereditarii promissi, et de omni damno emtori culpa sua illato tenetur.

§. 1284.

5) reditus annuus vitalis; Si alicui pro pecunia, aut pro re pecunia aestimata, ad dies vitae certae alicujus personae determinata annua praestatio promittitur; contractus de reditu annuo vitali existit.

§. 1285.

Duratio reditus vitalis a vita alterutrius partis, aut etiam tertii dependere potest. In dubio pro trimestri in antecessum solvitur, et morte illius, a cujus vita pendebat, exstinguitur.

§. 1286.

Nec creditores, nec liberi ejus, qui sibi reditum vitalem stipulatur, jure gaudent, contractum hunc convellendi. Prioribus tamen fas est, satisfactionem suam ex reditu vitali quaerere; posterioribus vero exigere, ut pars reditus vitalis qua parens carere potest, in eum finem seponatur, ut praestatio sustentationis ipsis competentis per illam secura reddatur.

§. 1287.

Contractus, quo medio contributionis collatae fundus communis sustentationis pro membris hujus societatis, eorum viduis aut orphanis constituitur, ex natura et fine hujusmodi instituti, et conditionibus de eo statutis judicandus est.

6) societates sustentationis causa initae;

§. 1288.

Si quis periculum damni, quod alteri sine ejus culpa accidere posset, in se recipiens

7) contractus assecurationis;

ipsi erga certum pretium indemnitatem conventam praestare promittit, exoritur contractus assecurationis. Assecurans ex eo damnum casuale praestat, et assecuratus pretium promissum.

§. 1289.

Ordinarium objectum hujus contractus sunt merces, quae aqua aut terra transportantur. Sed aliae quoque res e. g. aedes et fundi contra pericula incendii, inundationis et similia assecurari possunt.

§. 1290.

Si damnum casuale, cujus praestatio promissa fuit, contingit, assecuratus, nisi impedimentum invincibile interveniat, aut aliquid aliud conventum sit, assecurantem, si in eodem loco sunt, intra tres dies, extra hunc casum vero intra illum terminum certiorem reddere obligatur, qui ad declarandam acceptationem promissi ab absente facti statutus fuit (§. 862). Si hanc informationem intermittit; si casum probare nequit; aut si assecurans probare potest damnum culpa assecurati ortum fuisse; posterior indemnitatem promissam petere nequit.

§. 1291.

Si vel assecurato interitus rei, vel assecuranti rei a periculo immunitas tempore initi contractus jam nota erant, contractus invalidus est.

§. 1292.

Praescripta ratione assecurationum maritimarum, et contractus bodmeriae objectum constituunt legum nauticarum. 8) bodmeria et assecurationes maritimae.

Caput XXX.

De jure indemnitatis et satisfactionis.

§. 1293.

Damnum. Damnum vocatur quodlibet incommodum alicujus patrimonio, juribus aut personae illatum; a quo distinguendum est lucrum cessans, id est, amissio ejusmodi lucri, quod quispiam secundum ordinarium rerum eventum exspectare potest.

§. 1294.

Causae damni. Damnum oritur aut ex injusta actione vel intermissione alterius; aut casu. Damnum injustum vel voluntarie vel involuntarie infertur. Damnum voluntarium fit vel malo proposito seu dolo, si quis damnum sciens et volens; vel culpa, si quis illud culposa ignorantia, aut ommissione necessariae attentionis seu diligentiae inferat. Utrumque reatus dicitur.

§. 1295.

Reparationem damni, quod reatu illatum est, a laedente exigendi quilibet jure gaudet, sive damnum illatum sit violatione obligationis ex contractu, sive extra contractum.

De obligatione ad damni reparationem: 1) De damno ex reatu;

§. 1296.

In dubio praesumendum est, damnum absque reatu alterius ortum fuisse.

§. 1297.

Praesumitur vero etiam, quemlibet usu rationis pollentem ejusmodi gradus diligentiae et attentionis capacem esse, qui adhiberi valet, si quis facultatibus animi ordinariis gaudeat. Qui in actibus, unde laesio jurium alterius nascitur, talem gradum diligentiae vel attentionis intermittit, culpae se reum reddit.

§. 1298.

Praetendenti se in adimpletione obligationis suae ex contractu vel ex lege sine reatu suo impeditum fuisse, incumbit probatio.

§. 1299.

Qui munus, artem, quaestum vel opificium publice profitetur, aut absque necessitate voluntarie negotium suscipit, cujus

in specie 1) rei peritorum,

gestio specialem artis peritiam, aut diligentiam haud ordinariam requirit, hoc ipso indicat, quod sibi diligentiam necessariam et requisitam, haud ordinariam peritiam attribuat, quapropter earum defectum praestare obligatur. Si autem ille, qui negotium ipsi commisit, imperitiam ejus noverat, aut attentione ordinaria adhibita noscere potuisset, hic quoque in culpa est.

§. 1300.

Artis peritus etiam responsabilis est in eo casu, si erga remunerationem in rebus artis vel scientiae suae culpa consilium perniciosum praebet. Praeter hunc casum consilii auctor tantum de damno tenetur, quod sciens dato consilio alteri intulit.

§. 1301.

aut b) plurium complicum.

De damno injuste illato plures personae responsabiles fieri possunt, quando conjunctim, immediate aut mediate, illectione, minis, jussu, auxilio, occultatione et simili modo, vel etiam neglectu specialis obligationis malum avertendi, ad illud contribuerunt.

§. 1302.

In tali casu, si laesio culpa causata est, et damnum, quod quilibet intulit, determinari

potest, quivis tantum damnum culpa sua illatum praestat. Si vero damnum dolo illatum est, aut si determinari nequit, in quantum singuli ad laesionem contribuerint, omnes pro uno et unus pro omnibus tenentur, salvo tamen illius, qui damnum reparavit, jure a reliquis restitutionem exigendi.

§. 1303.

In quantum plures debitores conjuncti ex sola intermissione obligationis suae teneantur, ex natura cujusque contractus est decidendum.

§. 1304.

Si ad laesionem simul reatus laesi concurrit, is cum laedente damnum pro rata, et si portio pro rata determinari nequit, aequalem cum caeteris partem ferre obligatur.

§. 1305.

Qui jure suo intra justos limites utitur, de damno alteri inde orto non tenetur. 2) ex juris exercitio;

§. 1306.

Damnum, quod quis absque reatu aut per actum involuntarium intulit, de regula reparare non obligatur. 3) ex actu culpa vacuo vel involuntario;

§. 1307.

Sed si quis proprio reatu transitoriam animi perturbationem sibi contraxit, damnum

quoque in hoc statu causatum reatui ejus attribuendum est. Idem valet de tertio, qui hujus status laedentis reatu suo causa exstitit.

§. 1308.

Si dementes, aut mente capti, vel infantes aliquem, qui ulla culpa sua ad hoc ansam dedit, laedunt, laesus reparationem poscere nequit.

§. 1309.

Extra hunc casum indemnitas ipsi ab illis personis debetur, quibus damnum ob intermissionem custodiae eis in tales personas delatae imputari potest.

§. 1310.

Si laesus hoc modo indemnitatem adipisci nequit, judex circumstantiae, an forte laedenti, licet ordinarie mentis suae compos non sit, tamen in casu dato reatus imputari possit; vel an laesus commiseratione erga laedentem ductus defensionem intermiserit; vel demum, patrimonii laedentis et laesi ratione habita; ei integram damni reparationem, aut saltem partem ejus pro aequitate determinatam adjudicato.

§. 1311.

4) casu ; Casus merus ei nocet, in cujus patrimo-

nio aut persona obtinet. Si vero quis casum reatu suo causavit, vel legem impediendarum laesionum casualium gratia latam transgressus est, aut absque necessitate se alienis negotiis immiscuit, omne damnum praestat, quod alias subsecutum non fuisset.

§. 1312.

Qui in casu necessitatis alicui operam praestitit, ei non imputatur damnum, quod non avertit, nisi alium plus adhuc praestiturum culpa sua impediverit. Verum in hoc casu etiam damnum illatum certa utilitate alteri comparata compensare potest.

§. 1313.

5) factis alienis.

De factis alienis injustis, quorum aliquis particeps non est, de regula quoque non tenetur. Immo et quando leges contrarium disponunt, ipsi regressus contra reum competit.

§. 1314.

Exceptiones.

Si quis famulum vel famulam sine testimonio conducit; aut sciens hominem corporis vel animi qualitate periculosum in servitio suo retinet; aut notorio criminis reo diverticulum praebet; tam domino aedium, quam inquilinis ad reparationem damni, qualitate perniciosa harum personarum causati, tenetur.

§. 1315.

Ita etiam ille, qui sciens talem personam periculosam adhibuit; aut qui inhabilem negotio alicui praestituit, pro eo damno tenetur, quod tertius inde passus est.

§. 1316.

Caupones, nautae et vectores damnum praestant, quod illorum proprii, aut ab eis commendati famuli peregrinanti in rebus receptis in caupona sua, aut navi, aut in vectura inferunt. (§. 970).

§. 1317.

In quantum instituta publica rerum transmittendarum pro damno caveant, specialia praescripta determinant.

§. 1318.

Si quis lapsu rei periculose suspensae vel positae, aut ejectione vel effusione ex habitatione damnum patitur, illud is praestat, ex cujus habitatione ejectum aut effusum quidpiam aut delapsum est.

§. 1319.

Ob verisimilitudinem periculi, quod aliquod signum, vas aut alia res in loco, ubi homines praeterire solent, suspensa vel posita cadere et praetereuntes laedere possit, nemini

actio judicialis, sed cuilibet jus competit, communis securitatis causa periculum instantiae politicae denunciandi.

§. 1320.

Si quis per animal damnum patitur, hoc ab eo praestari debet, qui animal instigavit, incitavit, aut custodire neglexit. Si nemo reatus hujus generis convinci potest, laesio pro casu habetur. 6) ab animali;

§. 1321.

Qui in suo agro vel fundo alienum pecus deprehendit, propterea nondum jure gaudet illud occidendi. Sed ei licet pecus mediis accommodatis fugare, aut, si per ipsum damnum passus est, jus privatae pignoris captionis exercere, tot pecora retinendo, quot ad indemnitatem ejus sufficiunt. Attamen intra octiduum rem cum proprietario componere obligatur, aut actionem suam ad judicem deferre, aut vero pecus in pignus captum restituere.

§. 1322.

Ejusmodi pecus in pignus captum debet etiam restitui, si illius dominus aliam congruam cautionem praestat.

§. 1323.

Species damni reparationis.

Ut damnum datum reparetur, omnia in pristinum statum restituenda, aut, si hoc fieri nequeat, pretium aestimationis refundendum est. Si reparatio unice damnum datum spectat, indemnitas proprie; si vero etiam lucrum cessans et reparationem offensionis illatae in se complectitur, plena satisfactio nominatur.

§. 1324.

In casu damni, dolo, vel evidenti negligentia facti, laesus plenam satisfactionem, in reliquis vero tantum indemnitatem proprie sic dictam postulare potest. Unde in illis casibus, ubi in legibus expressio generalis: damni reparatio occurrit, judicandum est, quae species damni reparationis sit intelligenda.

§. 1325.

In specie; 1) pro laesionibus corporis;

Qui alterum in corpore laedit, laeso sumtus curationis praestat; ipsi damnum ex operis cessantibus resarcit; et, si laesus ad operas inhabilis reddatur, detrimentum futurum quoque ex operis cessantibus et praeterea petenti aestimationem dolorum circumstantiis demonstratis proportionatam solvit.

§. 1326.

Si persona laesa laesione deformis reddita fuit, hujus circumstantiae, praecipue si foemina est, eatenus ratio haberi debet, quatenus futurae ejus prosperitati detrimentum inde nascitur.

§. 1327.

Si ex laesione corporali mors sequitur, non solum omnes sumtus refundendi, sed etiam relictae uxori et liberis occisi, quod propterea perdiderunt, resarciendum est.

§. 1328.

Qui foeminam corrumpit, et prolem cum ipsa procreat, praestat sumtus puerperii atque satisfacit reliquis in capite tertio partis primae statutis obligationibus patris. Quando corruptio simul tamquam crimen vel tamquam delictum politicum puniatur, legibus poenalibus sancitur.

§. 1329.

Qui alterum raptu violento, vel privata auctoritate capiendo, aut arrestatione injusta dolose libertate privat, obligatur, laesum pristinae libertati restituere et ipsi plenam satisfactionem praestare. Si eum libertati restituere nequeat, ejus uxori et prolibus, quem- 2) libertatis personalis;

admodum in casu homicidii, reparationem damni praestare tenetur.

§. 1330.

3) honoris: Si cui per laesionem honoris damnum illatum vel lucrum ademtum fuit, laeso jus est indemnitatem aut plenam satisfactionem postulandi.

§. 1331.

4) patrimonii. Si quis in suo patrimonio dolo vel evidenti negligentia alterius damnum patitur, fas ipsi est, etiam lucrum cessans, et, si damnum per actum lege poenali prohibitum, aut ex petulantia et invidia datum est, pretium specialis affectionis exigere.

§. 1332.

Damni leviori culpa vel negligentia dati pretium ordinarium, quod res tempore laesionis habuit, praestari oportet.

§. 1333.

In specie per moram in solvendo. Usurae ob moram. Damnum a debitore creditori dilatione conventae solutionis sortis capitalis debitae factum usuris per leges determinatis compensatur (§. 995).

§. 1334.

Mora debitori in genere imputatur, si die per legem vel conventionem ad solutio-

nem statuto non solvit, aut, si in eo casu, ubi dies solutionis statutus non est, post diem factae judicialis vel extrajudicialis interpellationis creditori non satisfecit.

§. 1335.

Si creditòr sine judiciali interpellatione usuras usque ad quantitatem debito principali aequalem excrescere sivit, jus a sorte capitali ulterius usuras postulandi exspirat. Attamen a die institutae actionis de novo usurae exigi possunt.

§. 1336.

Paciscentes specialiter convenire possunt, ut pro casu promissi, aut plane non, aut non rite, aut nimis sero adimpleti, loco damni reparandi certa pecuniae quantitas vel aliquid aliud praestetur (§. 912). Attamen in mutuo quantitas ob moram in solvendo adjudicanda maximas legitimas usuras excedere nequit. In aliis casibus poena conventionalis, si a debitore probatur, eam justam mensuram excedere, a judice, auditis forte prius artis peritis, temperanda est. Solutio poenae conventionalis extra casum specialis pacti non liberat ab adimpletione contractus.

Stipulatio poenae conventionalis.

§. 1337.

Obligatio heredum laedentis.

Obligatio ad reparationem damni et refusionem lucri cessantis, aut ad praestationem poenae conventionalis, patrimonio adhaeret, et in heredes transit.

§. 1338.

Media indemnitatis petendae.

Jus damni reparandi in regula sicut aliud quodcunque jus privatum, apud judicem ordinarium quaerendum est. Laedens simul legem poenalem transgressus poenam quoque intentatam luere tenetur. Pertractatio de damno reparando in hoc etiam casu, quatenus per leges poenales judicio poenali aut instantiae politicae commissa non est, ad judicem civilem pertinet.

§. 1339.

Laesiones corporales, injustae violationes libertatis, et injuriae pro re nata aut tamquam crimina a judicio criminali, vel tamquam delicta politica, aut, si ad neutram harum specierum pertinent, tamquam delicta in genere, ab instantia politica perquiruntur et puniuntur.

§. 1340.

Hae instantiae in eo casu, ubi obligatio damni reparationis immediate determinari po-

test, illam statim secundum praescripta hoc capite contenta decernere debent. Si vero reparatio damni immediate determinari nequit, in sententia in genere exprimendum est, laeso salvum esse indemnitatem in jure quaerere. Quod etiam in casibus criminalibus laeso, et in aliis casibus utrique parti liberum est, quoties determinatione indemnitatis ab instantia poenali facta contenti esse nollent.

§. 1341.

Ob reatum judicis querela apud instantiam superiorem movetur, a qua ex officio examinatur et dijudicatur.